

49²ll.

DISPUTATIO II.
DE
**JURE CIRCA FRU-
MENTUM**

Præcipue
DE
**Taxatione Frumenti & Vectigali-
bus de Frumento solvendis, deque Agricolis
ac ipsorum privilegiis,**

Quam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
Ex Decreto Magnifici Jctorum Ordinis

PRÆSIDE
CHRISTIANO THOMASIO,

Phil. & J. U. D.

Respondendo tuebitur


BERNHARD CHRISTOPH SOLTER,

Verdenfis,

Ad d. Novembr. An. M. DC. LXXVIII.

H. L. Q. C.

Francofurti ad Viadrum,
Literis ZEITLERIANIS.



F. D. 270. 49. 2

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN. JOHANNIS GEORGII II.
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ac MONTIUM
DUCIS, S. R. I. ARCHIMARESCHALLI AC PRINCIPIS
ELECTORIS, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIO-
NIS MISNIÆ AC UTRIUSQUE LUSATIÆ,
BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS,
COMITIS MARCÆ ET RAVENBURGI,
DYNASTÆ RAVENSTEINI
&c. &c.

SUPREMO PRÆFECTO PRÆTORIO,
CONSILIARIO INTIMO,
COMITI ITEM ATQVE CAMERARIO:
PERILLUSTRI ATQ; GENEROSISSIMO

DN. HERMANNO à WOLFF-
RAMBSDORFF,
DYNASTÆ IN MÜGELN, KÜSTERITZ, KOLMEN,
SALHAUSEN &c.




CIRCULI LIPSIENSIS CAPITANEO
AC PRÆFECTURARUM
, COLDICENSIS, BORNENSIS ET GRIMMENSIS
DIRECTORI SUPREMO,
DOMINO SUO ATQVE PATRONO
SUMMÈ COLENDO, VENERANDO,
DISPUTATIONEM HANC JURIDICAM
perpetuæ observantiæ

& submissæ recommendationis ergo
Dedicat

PERILLUSTRIS GENEROSITATIS SUÆ
Devotissimus Client

CHRISTIANUS THOMASIUS, D.



DISSERTATIONIS
DE
JURE CIRCA FRU-
MENTUM
CAPUT III.
DE
Taxatione Frumenti.

SUMMARIA.

*Venditio frumenti sine justo pre-
cio promovet caritatem anno-
nae. n. 1. Testante Apulejo. n. 2.
Aristotele. n. 3. & accedente ra-
tione. n. 4. ubi*

*Qv. 1. an expediat taxari frumen-
tum? n. 5. Formatur Status con-
troversie. n. 6. 7. & affirmatur
questio. n. 8. Ratio dissentien-
tis Molina prima n. 9. ad quam
respondetur n. 10. & 11. Secunda
n. 12. cui respondetur n. 13. 14.
Tertia n. 15. 16. 17. 18. 19. ad quam
respondetur n. 20. seq. Quousq;
princeps teneatur salutē subdi-
torū spiritualem procurare? n.
20. 21. 22. Ex sententia Molina
sequitur absurdum, Deum esse
causam peccati. num. 23. Item:
Principem debere abrogare le-*

*ges contra quas videt peccare
n. 24. 25. 26. Item: Taxam esse
omittendam in reliquis victua-
libus. n. 27. 28. 29. Quid Moli-
na ad rationes sententiae nostrae
respondeat? n. 30. 31. 32. 33. 34.
35. cujus levitas ostenditur. n.
36. 37. 38. 39.*

*Qv. 2. Quis pretium frumento
statuere debeat? Olim Praefectus
Urbi hoc faciebat. n. 40. Item
Comes n. 41. Episcopus. 42. Po-
tissima questio: An & magistra-
tus municipalis hanc potestatem
habeat? n. 43. Formatur Stat9
controversie. n. 44. 45. 46. Re-
spondetur affirmando. num. 47.
Rationes pro affirmativa falsa
ex l. 49. §. 1. ff. de Leg. 1. n. 48.
49, & ex §. ult. ejusd. legis. n. 50.*

51. 52. 53. *Ratio genuina.* n. 54.
 55. *Limitatio affirmativa.* n. 56.
Pro negativâ Facit. l. ult. §. 1. ff. ad L. Jul. de annonâ, ubi rejicitur responsio Bartoli. n. 57.
 Gottofredi distinctio inter res venales & non venales. n. 58. 59. examinatur. n. 60. 61. 62. 63. 64.
 Aliorum distinctio inter Magistratum municipale & ordinem civitatis rejicitur. n. 65. 66.
 67. Assumitur distinctio inter personas frumentum vendentes B. Brunnemanni. num. 68. & 78. ubi explicatur questio an exteris in alieno territorio viventibus lex poni possit. n. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. *Alia ratio pro affirmativâ ex necessitate.* n. 79. *Quid Jure Saxonico obtineat.* n. 80. 81. 82. 83. *Quid Jure Marchico? Relativè* n. 84. Respondetur ad quadam dubia ex ordinatione taxæ Saxonice oborta. n. 85. 86. 87.
- Qv. 3. *An pretium frumento etiam non venali statui possit?* n. 88.
- Qv. 4. *An exteris frumenta in territorio nostro vendentibus pretium dictari possit?* n. 89.
- Qv. 5. *Quodnam sit justum taxationis à magistratu faciendæ pretium.* n. 90. *Pretium vel naturale vel legitimū.* num. 91. 92. *Questio intelligitur de pretio legitimo.* n. 93. *Differentia inter hæc duo pretia.* num. 94. 95. *Subditi de legibus disputare non debent.* n. 96. *Magistratus in determinando pretio justum naturale adspicere debet.* num. 97. Respondetur ad questionem. n. 98. 99. 100. 101.
- Qv. 6. *An princeps, si jubeat tempore carestie frumentum à Subditis, qui eo abundant, vendi, justum pretium debeat statuere an vero sufficiat injustum?* n. 102. *Examinatur distinctio inter pretium absolute & respectivè consideratum.* n. 103. 104. 105. *Negatur questio.* n. 106. Respondetur ad l. 27. §. 3. ff. de usufr. n. 107. 108. 109. 110. 111. & ad l. 2. §. 2. & 4. ff. ad l. Rhod. de jactu. n. 112. 113. *Aliud est in Dardanario.* n. 114. 115. 116.
- Qv. 7. *An magistratus tempore caritatis frumento vendendo eam taxam communiter imponere possit, quâ fuit venditum tempore abundantie? Negatur.* n. 117. *Objicitur utilitas publica.* n. 118. Respondetur: *Utilitatem honestati non opponendam.* n. 119. 120. *neque utilitatem hic subesse.* n. 121. 122. 123. 124.
- De nimia frumenti coemptione à privatis facta relativè.* num. ult.

SI ulla res caritatem annonæ promovet, certè
 de venditione frumentorum ex injusto pre-
 tio id prædicari poterit. Elegans in hac ma-
 teriâ est locus Apuleji *lib. 1. Metamorph. ferè cir-
 ca finem*, quo docet, caritatem cibariorum
 & edulium, inter quæ & frumenta referenda
 sunt, si ea non justo pretio vendantur, efficere ut vel flo-
 rentissimæ civitates desolutæ relinqvantur. Verba ejus hæc
 sunt: *Sed enim Pytheas visâ sportulâ succussisq; in adspectum
 planiorem piscibus: At has quisqvilias quanti parasti? Vix in-
 quam, piscatori extorsimus accipere viginti denarios. Quo
 audito statim arreptâ dextrâ postliminio me in forum Cupedi-
 nis reducens: A quo, inquit, istorum nugamenta hæc compara-
 sti? Demonstro seniculum, qui in angulo sedebat, quem conse-
 stim pro adilitatis imperio voce asperrimâ increpans: Jamjam,
 inquit, nec amicis quidem nostris vel omnino ullis hospitibus
 parcitis? Quid tam magnis preciiis pisces frivolos indicatis
 & florem Thesalia regionis instar solitudinis & scopuli edulium
 caritate deducitis. Aristoteles *lib. 6. Polit. c. 8.* nihil magis in
 Rep. curandum dicit, quàm ut ordo, modus, ac fides fer-
 vetur in iis, quæ necessariò ad victum resque annonarias
 commercio in foro veneunt. *Vid. Mornacium ad d. l. 1. §. 5.
 de off. pref. urbi f. m. 51.* Etenim si cuilibet privato pro lu-
 bitu pretium in ejusmodi rebus determinare permittatur,
 eveniet illud, ut in frumenti abundantia divites copiam
 ejus pretio modico sibi comparent, illudq; postea egenti-
 bus maximâ sub usurâ rursus vendant, aut tamdiu illud re-
 tineant, donec facilis emtor reperiat, quâ retentione an-
 nonæ caritas, quam evitandam diximus bono principi, non
 poterit non accerseri, *conf. infr. n. 31.**

Quæ cum ita sint, miror, reperiri, qui quæstionem:
An expediat taxari frumentum? moverint. Quos inter est

- Ludovicus Molinâ *de Just. & Jure* disp. 365. n. 22. seqq. qui post alios statuit, non expedire, ut frumentum taxetur, præsertim in Lusitaniæ regno. An recte? videbimus. Præsuppono vero statim: Duas hîc esse quæstiones: 1. *An simpliciter in Rep. abstractivè consideratâ expediat frumentum taxari?* 2. *An in hac Rep. v. g. in Lusitania istud utile sit?* Quæ quæstiones quàmvis conjungantur à Molinâ, non confundendæ tamen sunt. Quoniam concesso fortè, quod in unâ Republ. ob præsuppositas quasdam hypotheses, quales de regno Lusitaniæ præsupponit Molina *d. l. §. 14. n. 2. 4. 5.* commodè taxatio fieri nequeat, non tamen inde inferri poterit: Ergò in aliâ Republ., in quâ dictæ hypotheses non procedunt, similiter non svadenda erit taxatio. Rerump. siquidem utilitates, cum ob diversos earum fines varient, ab unâ quoque ad alteram argumentum duci firmum nequit.
8. Missâ itaque secundâ quæstione, quam de Lusitaniæ regno ibi ventilat Molina, priorem per dicta *n. 1. seqq.* affirmamus. Rationes pro contrariâ potissimum tres apud Molinam *d. n. 14.* deprehendo. *Primò quod pretium taxationis justum esse debeat, & intrâ latitudinem justî naturalis. Difficile autem esse, illud attingere statim perceptis frugibus & nondum re comprobatâ temporis successu. Atq; hoc eo magis, quò plus in commune bonum contenditur, ut non excedat infimum justum. Objectio hæc paululum obscura ex dicendis infra n. 90. seqq.*
10. lucem capiet. Sed ad eam respondeo (1.) quàmvis difficile fortè sit, ad æquum pretium statim perceptis fructibus pervenire, non tamen erit illud impossibile, si nimirum princeps alias circumstantias *infra n. 99.* determinandas attendere velit. Difficultas autem hæc utilitate, quam, avertendo notatas *n. 4.* iniquitates, Respubl. sentit, facilè compensabitur. (2.) Nego in taxatione à magistratu faciendâ non excedi posse infimum justum pretii naturalis, quoniam ipsū naturale

naturale pretium, quod tamen in taxatione tanquam normam magistratus attendere debet *vid. n. 97.* non est injustum, quàmvis non sit infimum. Secundò: *Quoniam ob va-* 15.
rietatem circumstantiarum necesse sit variare legem taxatio-
nis, id autem difficile esse magistratui circa alia occupato, neq;
id attendenti, unde multi prius injustitiâ legis opprimantur,
Et, quod deterius est, injustè postea puniantur. Respondeo: 13.
 Et hæc difficultas facillè amoveri poterit, si certis quibusdam magistratibus, aliis negotiis non obrutis hæc cura imponatur, ut toties, quoties taxationem frumenti variare, necesse sit, ipsi in id curam intendant. Quo remedio observato, notatæ à Molinâ inconvenientiæ non sequentur. Hinc in quibusdam civitatibus non inutiliter cautum est, uti 4
 singulis diebus mercatum à scribâ municipii vendentibus frumenta (ne principales suos, quorum nomine ea vendunt, fraudare possint) testimonium detur sigillo publico signatum, quanti eâ die venierit. Quod de Lipsiensi, Magdeburgensi, aliisque testatur Joh. Wilhelm Wündsch in *Memoriali Oeconomico - Politico - Practico oder Unterrichtung eines Haushältischen Beampten und Hoffbedienten part. 2. cap. 14. p. m. 241.* ubi etiam formulam eines solchen Marktzettels exhibet. Tertia & potissima ratio Molinæ: cur taxationem 15.
 frumenti dissvadeat, hæc est: *Quod Legislatores in legibus ferendis non solum ad commoda Et incommoda temporalia, quæ ex lege suâ sequuntur, sed etiam ad spiritualia subditorum respicere debeat.* Hinc si ex aliquâ suâ lege videat grave detri- 16.
 mentum spirituale multorum oriri vel fragilitate, vel etiam malitiâ subditorum, teneatur charitatis præcepto ab eâ lege ferendâ abstinere, præsertim si aliâ viâ aequè benè consequi possit intentum ac finem ejus legis. In re autem propositâ maxi- 17.
 mam esse illorum cepiam, qui cum gravissimò suarum animarum periculo legem taxationis, etiam justam, transgrediantur,
 dum

dum non solum lethaliter peccent, sed etiam ad restitutionem
 sub pœnâ eternâ teneantur, à quo vinculo semel contracto mul-
 ti sint, qui restituendi difficultate, & quod non multum Deum
 18. timeant, nunquàm liberentur. Atq; hoc esse, quod ipsum ma-
 ximè moveat ad dissvadendam legem taxationis frumenti. Cùm
 enim frumentum non sit res, quæ ab uno aut altero solum ven-
 datur, sed à quamplurimis in unoquoq; oppido, & ab omnibus
 ferè agricolis in magnâ aut parvâ qvantitate, & insuper non
 sit res, quæ in publico foro vendatur, sed occultè in domibus pri-
 vatis & sine testibus, hâc ratione liberius lucri cupiditate legem
 19. violari. Ut interim perjuria omittantur quæ quotidie fiunt,
 dum eâ de re inquiritur partim malitiâ, & partim ruditate,
 falsâq; misericordiâ eorum, qui eâ de re interrogantur. Huc-
 20. usque Molina, cujus principium fundamenti loco n. 15. po-
 situm tolerari quidem posset. Sed in applicatione ejus n.
 16. & seqq. multa desideramus. Nam initio (i.) illud negan-
 dum, principem ita ad promovendam salutem spiritualem
 subditorum stringi, ut in conscientiâ obligetur, illas leges,
 quibus positæ, timendum sit subditos per malitiam contra-
 21. venturos, omittere. Sufficit enim principi, ut officio di-
 cto satisfaciatur, si operam det, quò in Rep. per leges saluta-
 res studium omnium virtutum subditis inculcetur ac ea do-
 ceatur religio, quæ fidem salvificam secum fert, hæresesq;
 eâ, quâ par est, potestate supprimantur, & deniq; ultricibus
 pœnis illi coerceantur, qui legibus istis obtemperare no-
 22. lunt. Tantum ergo abest, ut princeps, si videat probabi-
 liter, subditos legi cuidam à se ponendæ non facilè obse-
 cuturos, ab eâ abstinere debeat; ut potius peccaturum e-
 undem putem, si metu quodam adhuc incerto perituræ sa-
 lutis quorundam privatorum, quæ tamen ipsi nullo modo
 imputari possit, se commoveri patiatur, ut legem quâ salus
 23. publica promoveretur, non ferat. Plurima absurda Mo-
 linæ

linæ opinionem sequentia nunc omitto, quâ Theologica quâ Politica, quale illud, quod hoc præsupposito, Deus, qui tamen omnium maximè salutem nostram spiritualement promouet, iniustitiæ cujusdam argui videatur, quod post lapsū hominis, ubi natura humana ita corrupta est, ut non possit non peccare, hominem tamen non solūm præceptis Juris naturæ ulterius obligari voluerit, sed & leges positivas omnes homines obligantes (quarum exempla *Gen. II. v. 17. Genes. IX. vers. 5, & 6. & in Levit. cap. 18. ferè per integrum* deprehendes) de novo tulerit, ac ita simul occasionem peccandi hominibus dederit, quod tamen statuere velle blasphemum esset. Illud tantūm addo, quamvis Molina verba 24 de legibus ferendis loquantur, non tamen me videre, quo modo ab eâ sententiâ se liberare possit, quin & statuatur, legem jam latam à principe, si videat frequenter contrâ eam peccari, eodem, quod fingit Molina, charitatis præcepto moto, abrogandam esse. Nam si ideò à simili lege ferendâ 25 abstinere debet, quoniam periculum animarum futurum, adhuc metuitur, multò magis abrogare debet latam legem in posito casu, quia ibi periculum jam præsens cernit. At hæc principia frustra Politico etiam Christiano dictan- 26 tur, qui in contrarium potius tendit, & crescentibus delictis legem non tollit, sed magis firmat, sed pœnas idcirco magis exasperat. Sibi ergo imputent, non principi, qui præscriptâ frumenti taxatione legem istam violant, aut perjuriam in inquisitione committunt. Quamvis & (2.) non vi- 27 deam cur tale periculum in taxatione frumenti metuatur, non autem in aliarum rerum taxatione, quam, ni fallor, admittet Molina, cum tamen & in hâc eadem videatur militare ratio. Nec est, quod cum Molinâ dicas, in frumenti 28 venditione quemvis ferè esse occupatum, eamque potissimum clanculum, non publicè fieri, quod in reliquorum

29. victualium venditione non accidat. Nam vanum hunc metum esse exinde liquet, quod princeps incommodo huic facillimè obvenire possit, si legem ferat, ne frumenta privatim emantur aut venundentur, uti in Hispaniâ id factum esse testatur Choppinus *Lib. 2. de privil. Rustic. cap. 5. p. m. 95.* & de Jure Saxonico idem obtinere docebit *infra num. 82.*
30. Satisfactum pro viribus op̄ioni Molinæ. Perlustrandum nunc breviter, quomodo rationibus nostris, quibus taxationem suavisimus respondere conetur. Ita verò inquit *d. l. v. 15.:* Dices: quid ergo? permittendine sunt omnes vendere, quo pretio voluerint? Inde sanè Reip. sequetur pernicies. Cum enim ex decem partibus frumenti, quod in Lusitania venditur, novem ad conductores reddituum Ecclesiasticorum ac nobilium pertineant; hi autem, quantum possunt, conentur ascendere in pretio, quibus viis possunt, sanè, si vendere permittantur, quæ velint, pretio, ultrà justum vendent, sanguinemq; pauperum sugent, unde fiet, ut brevi omnia bona ac pradia illorum comparent. Hanc video esse rationem potissimam, quâ Senatores affirmant, necessariam omnino esse in Lusitania regno taxam
31. frumenti. Ad quam dicendum, malum hoc, si per hyperbolem non sit dictum, nullo modo esse ferendum. Facile tamen posse illi occurrere sine taxationis lege, quæ totum regnum involvat, &
32. quæ tot pariat mala, quot supra commemoravimus. Cum enim ejusmodi homines, qui id efficiunt, injusti sint, Reipublicæq; perniciosi, compelli utiq; possunt, rationem reddere frumenti, quod in uno quoq; oppida ex commendis, redditibusq; aliis ecclesiasticis ac nobilium habent, quod sciri non est difficile in unoquoq; op-
33. pido. At tunc cogi possunt illud vendere moderato pretio, ut natura rei spectatis circumstantiis concurrentibus postulat, atq; ut communiter ab aliis in eodem loco venditur; Imò auctoritate publicâ vendi posset ac distribui, ut commune bonum ejus populi efflagitaret reddito illis pretio justo, relictoq; eisdem fru-
- mento

mento toto, quod communi bono ac necessitatibus populi in quo illud habent, necessarium non esset. --- Efficacius autem multò ^{35.} est hoc medium, ut populi frumentum pretio justo emant, quàm condere legem taxationis, omisâq; hâc diligentia, qua sola sufficit, permittere, ut unusquisq;, quo libuerit pretio vendat, & postea transgressores inquirere, ut puniantur, qui facile, ut acquirant, ducenta vendendo ultra pretium lege taxatum se exponant periculo solvendi longè minorem pœnam legis. Præsertim cum iudices solùm curent exigere pœnam, nihilque solliciti sint, ut emtoribus excessus pretii reddatur. Duo ergo Mo- ^{36.} linâ in dictis num. 34. suppeditat remedia, quibus obviam eundem sit iniquitatibus privatorum sine taxatione, quæ, quamvis ad regnum Lusitaniæ ab ipso sint applicata, æquè tamen fortè in aliis locum habere posse videntur. Verùm ^{37.} hîc in genere illud noto, sententiæ nostræ non obesse, si aliud medium avertendæ usurariæ pravitatis privatorum inveniat princeps: sufficere nobis, quod taxatio frumenti illis difficultatibus non prematur, quibus putavit Molina. In specie verò quoad (1.) nescio quid sibi velit idem, dum ^{38.} taxationem frumenti omitti vult, & tamen cogi jubet vendentes, ut moderato pretio ex naturâ rei spectatis circumstantiis desumto, & uti communiter venundari solet, vendant frumenta. Quid hoc aliud est, quàm frumento taxati juxta quam vendi debeat, imponere? (2.) Alterum de vendi- ^{39.} tione ac distributione publicâ quod concernit, non video commodius taxatione illud fore, dum ipse Molina eo præsupposito in seq. n. 16. dict. disp. 365. innumeras, ferè & maxime difficiles cautiones circa distributionem ac venditionem ejusmodi (ne privati ab iis, quibus hæc cura commissa est lædantur) observandas, apponere necesse habuerit, quibus omnibus taxâ adhibitâ opus haudquaquam erit. Alia nunc lubens omitto.

- 40 Non minor quæstio est altera: *Quis pretium frumento statuere debeat?* Olim ad Præfectum Urbi hanc curam spectasse argumento est *l. 1. C. de frumento Urb. Constant. lib. XI.* Urso præfecto Urbi inscripta. *Vid. Dinner. de justo rer.*
- 41 *pret. defm. qv. 3. n. 2. & 3.* Subsecutis temporibus & tempore Friderici I. quid obtinuerit, docet *ejusdem constitutio 2. Feud. 27. de Pac. Ten. §. 4.* Post natalem Sanctæ Mariæ unusquisq; Comes septem boni testimonii viros sibi eligat, & de quâlibet provinciâ cum ipsis sagaciter disponat, & quanto pretio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda, utiliter provideat. *Quicumq; verò contra deliberationem ipsius intra anni terminum altius modium & carius vendere præsumserit, tanquam violator pacis habeatur, & totidem viginti libras comiti exolvat, quanti modios sive maldios altius vendidisse,*
- 42 *convictus fuerit.* Quin & alio tempore officium hoc Episcopis Urbis impositum non solum de Jure Civili *l. 1. C. de Episc. audient.* sed & Canonico *c. 1. X. de emt. & vend.* Sed de
- 43 his, non magna lis, puto, erit. In eo potissimus cardo controversiæ versatur: *An magistratus municipalis jus præ-*
- 44 *stantia victualibus statuendi habeat, nec ne?* Ubi de eo neminẽ dubitare arbitror: Potestatem hanc principi, vel ei, qui *το νεπο* in civitate gerit, radicaliter inhære, ipsi enim incumbit cum de subditorum bonis pro utilitate Reip. statuendi, & propterea jus definiendi rerum pretia inter regalia communiter à Politicis est relatum. Inde non illud hic quæritur: An magistratus municipalis autoritate privatâ taxam rebus venalibus contra voluntatem principis imponere possit? (Nam si ita quæstionem formes, Domitiana erit, cum ex Molinâ *de Just. & Jur. disp. 364. num. 1.* illud principii loco omninò assumendum sit, reliquos magistratûs omnes præter principem jus hoc, vel ex superioris concessione vel ex diuturniori consuetudine sibi quæsitum, possidere.) Sed,
- qvoni-

quoniam concessio principis alia generalis est, alia specia-
 lis; de eo controversi à Dd. qui hanc materiam ventilant,
 opinor: *An magistratus municipalis regulariter & quà talis,*
b. e. quà jurisdictionem in genere respectu municipii à principe
accepit, possit victualium & adeò frumenti etiam pretium di-
ctare, an verò ad hanc potestatem speciali privilegio principis
opus sit? Hic itaq; salvo aliorum iudicio priùs affirmandum
 47
 puto cum Dinnero *de justo rerum pretio qv. 3. n. 7. &*, quem
ibid. citat, Afflicto *ad alleg. Friderici constit. II. Feud. 27. §. 89.*
 cujus hæc est opinio, quamlibet civitatem pretium grani
 definire posse. Adde & Mynsingerum *cent. 5. obs. 27.* Hujus
 tamen decisionis rationem ex argumento *l. 49. §. 1. ff. de leg. 1.*
 48
 desumi posse cum Dinnero *d. l.* nequaquam dixerim, utpo-
 te cum in eà nihil amplius dicatur, quàm, quod damnatus
 fundum vendere non propterea cogatur gratis, (h. e. cuilibet
 quodvis pretium etiam injustum offerenti) illum ven-
 dere, sed vero pretio. Quis autem pretium istud ve-
 rum determinare debeat, nec ibi additur, nec argumen-
 to horum verborum ad magistratum municipalem accom-
 modari poterit. Et illud addo: Textum eundem loqui de
 49
 pretio fundorum, quibus ne à principe quidem ob nimiam
 eorum differentiam taxa imponi solet, adeoq; ab illis rebus
 ad victualia malè inferri. Firmius argumentum ex *§. seqv. 50.*
ult. d. l. 49. duci posse videtur, ubi Jctus heredem, si certo
 pretio damnatus sit fundum vendere, necesse, inquit, ha-
 bere, tanti vendere, quanti damnatus sit. Ex quo ita infer-
 re quis posset: Heredem in illo casu proculdubio damna-
 tum esse à Judice pedaneo (cum quo hodiè comparari pos-
 sit magistratus municipalis) ut fundum certo pretio vende-
 ret, ergo & magistratum municipalem pretia rebus impo-
 nere posse, & falsum prætereà esse illud, quod *n. anteced.*
 ponebamus, fundorum pretia non posse determinari. Sed

51. ut à posteriori incipiam, distingvendum est inter fundos in specie & in individuo, (seu, ut Jcti loqui amant, in genere & in specie) consideratos. Priori modo, ob nimiam eorum incertitudinem ac varietatem, (cum & gleba fundus sit *l. 60. ff. de V. S. ibiq.* Wisfenb.) taxa certa iis poni nequit, quamvis huic fundo in specie in judicium deducto pretium dictari à judice possit. Sed de tali taxatione judiciali hinc non sumus solliciti.
52. Accedit porrò quod allegatus textus nequaquam de taxatione à Judice facta sit intelligendus, sed potius id innuat, heredem à defuncto damnatum fuisse, ut fundum sub certo pretio vendat. Imò etsi vel maximè de judice loqueretur, tamen inter hunc & magistratum municipalem differentia non parva est. *Vid. B. Eckolt ad tit. ff. de decurion. §. 1.*
54. Quid ergo? & undenam potestatem frumento pretium dicendi magistratui municipali adstruemus? Res hæc exinde dependere videtur: *An municipium, & quanam statuta sine consensu expreso superioris condere possit.* Ubi præ cæteris placet opinio B. Brunnemanni *in repetit. Paratitl. Wesenbec. ad tit. de LL. qv. 6. & in Comm. ad L. 9. ff. de Just. & Jure.* sic distingventis, an statutum administrationem bonorum communium respiciat, an verò causarum forensium decisionem, ita ut in primo casu speciali confirmatione principis haud indigeat, quamvis sit præter, si modò non contra jus commune, cum, juxta commune effatum, quicumq; dat jus ad finem, simul ad media quoque dedisse præsumendus sit.
55. Quoniam itaque & in isto Statutorum genere lex, quæ pretium rebus ad victum spectantibus imponitur, locum sibi vindicat, meritò sine speciali permisso principis magistratum municipalem eam proponere posse concludimus.
56. Limitatur tamen assertio nostra, nisi potestas hæc municipio adempta à principe & sibi reservata sit, quod iterum vel
expres

expressè fieri potest (tunc enim non opus est de præsumptâ principis voluntate disquirere, si, quid velit, ipse demonstraverit) vel tacitè, si, v. g. certum quempiam ministrum huic curæ in municipio præponat. Nam in hoc casu præsumptiò *num. 54.* per fortiozem præsumtionem excludetur, quia, si municipio hoc jus relinquere voluisset princeps, illud aliî proculdubio non fuisset mandaturus.

Dictis verò graviter ex mente dissentientium obstat, *57.* constitutio *l. ult. §. 1. ff. ad L. Jul. de annonâ*, ubi Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescriptisse dicuntur: *Jus non esse ordini cujusq; civitatis pretium grani, quod indebitur, statuere.* Pro cujus conciliatione varii variè respondent. Bartolus *ad d. textum* eum de pretio injusto intelligendum esse asserit: Sed hanc responsionem vim facere textui apertum est, notante id jamdudum Excell. Dn. Strykio *Diff. de Dardanariis c. 3. n. 39.* Alii quos citat Dinnerus *d. l. n. 8. § 8.* distinguunt inter res venales & non venales, *leg. ult. ad res non venales restringentes*, cujus tamen opinionis Dinnerus ipse non esse videtur ob *num. 22. qv. seq. 4ta.* Gortofredus autem *in notis ad d. l. ult.* eidem subscribit, dum rationem ejusdem ex *l. 9. ff. de actione rerum amotarum* desumendam ait, ubi dicitur: *iniquum esse ut aliquis invitus rem suam suo* (h. e. explicante B. Brunnemanno *Comm. ad d. l. 9. n. 1. eqv. & communi*) *pretio vendere cogatur.* Ex quo Dd. colligunt: *59.* non posse compelli subditum, ut sua cibaria Domino vendat. Brunnem. *d. l. n. 2.* Carpzov. *Part. 2. Constit. 51. def. 10.* Rauchbar. *part. 2. qv. 22.* Quod si itaq; hoc verum est, multò minus poterit magistratus pretium rei, quam à subdito invito extorquet, statuere, sed potius hic arbitrio venditoris res relinquenda erit. *Conf. Köppen. lib. 2. obf. 138. n. 7. & 8.* Sed nec hæc Gortofredi responsio textui sat accommoda videtur, non equidem, quod quæstio nostra præcipuè de rebus

bus non venalibus concepta sit, atq; adeò ipsi, qui hanc responsione utuntur, & nobiscum aliàs sentiunt, quæsitum ex textu hoc non posse colligi, ipsi fateantur. *Vid. Excell. Dn. Strykius d. l.* Nam quod hoc concernit, sufficere posset ad sententiam nostram contrà dissentientes statuminandam, si obtinuerimus, magistratum municipale frumento venali pretium dictare posse, quoniam contrariæ partis patroni omnem pretii (cujus tamen frequentissimus usus in rebus venalibus est) determinationem magistratui municipali, nisi

61. principis concessio specialis accedat, adimunt. Verum displicet hæc responsio ex alio capite. (1.) Quoniam *d. l. ult. de rebus non venalibus* (ad quas tamen allegati *n. 58. Dd. eandem restringunt*) explicare vix patiuntur verba ejusdè quod invehitur, quæ sine dubio de invectione in civitatē vendendi causâ, capienda erunt. (Nam invectionem in horrea si intelligas, Domitiana inde resultabit quæstio) & consequenter mens Imperatorum ea fuit, quod nec grani venalis pretium ab or-

62. dine civitatum statui possit. (2.) Putamus etiam, a fertionem nostram *n. 47. & 55.* ad frumentum quoq; non venale

63. extendi posse: *Conf. Diuner. d. l. qv. 4. n. 22. seqq.* Quamvis enim aliàs in rebus non venalibus quisque moderator sit ac arbiter, ut, si compellatur illas vendere, pro lubitu pretium statuere possit *d. l. 9. ff. de act. rer. amot.* hæc tamen regula, uti & aliæ similes, tempore necessitatis exceptionem patietur, in quo privatam à magistratu suo compelli posse putamus, non solum ut ex abundantia victualium concivi suo quid vendat, sed & ne nimium pretium injustè ab eodem, etiam in injustum pretium, ut modò vitam servet,

64. fortè consensuro, extorqueat. Idquè eò magis, cum uti infra dicetur, princeps divites ad id cogere possit, ut frumentum, quo abundant, etiam gratis inter pauperes tempore famis distribuant. Damnum siquidem, quod hic privati

vati sentire videntur, iterum utilitate publicâ, ad quam promovendam ex naturali jure quilibet obstrictus est, compensatur. Sed hæc obiter. Frustrâ porrò à quibusdam pro conciliandâ allatâ *d. l. ult.* remedium quæritur in ejus verbis: *Ordini cujusq; civitatis*, per quæ non magistratibus municipalibus, sed solum decurionibus, quippe quorum officium non adeò amplum, ibi denegetur potestas definiendi pretium. *Vid. Disput. de annonâ sub Dn. Struvio Jena 1653. habita §. 19.* quam responsionem ex Hahnio, in *not. ad Wesenbec. tit. de annonâ n. 4.* & Harprechto *ad §. 11. Inst. de publ. Judic.* haustam volunt. Sed non viderunt: Hahnium & Harprechtum, si penitus eorum verba considerentur, esse contrariæ à nostrâ opinionis. Nam dum iidem reliquis magistratibus, v. g. præfecto urbi &c. potestatem taxandi concedunt, decurionibus verò denegant, constat, magistratibus quoque municipalibus eos simul hoc jus auferre, quia Decuriones antiquitus nihil aliud fuerunt, quàm magistratûs municipiorum *l. 12. ff. de Jurisdic. Wesenb. ad tit. de decurion. n. 1.* Ut adeò, si demus, per *ordinem cujusq; civitatis* decuriones in *l. ult. ff. de annonâ* indigitari, (uti etiam reverà intelliguntur) & ipsis indistinctè jus pretium dicendi denegari concedamus, habebunt jam adversarii quod volent. B. Brunnemann. in *Comm. ad d. l. ult. ff. ad L. Jul. de annonâ* distingvit inter personas frumentum vendentes, an illæ sint extraneæ, an cives, applicatque, quod magistratus civibus suis aliquid vendituris pretium statuere possit, non verò extraneis; Si enim Senatus municipii annonæ, quæ à rusticis vicinis invehitur, pretium statuere vellet, extendere eum jurisdictionem suam in homines sibi non subjectos. Ubi tamen notandum, duas hic esse quæstiones haudquaquam confundendas: 1. An magistratus possit extraneis legem venditionis dicere? 2. An eam possit ponere extraneis annonam

nonam in municipium, cui imperat, invehentibus? De pri-
 70 ori quatenus extranei, h. e. qui respectu domicilii ipsius po-
 testatem non agnoscunt, absolutè & quâ tales consideran-
 tur, nullum unquam fuit dubium, cum nemo id asserere, po-
 tuerit ob *l. ult. ff. de Jdict.* & ergò non probabile est, *l. ult. ad*
L. Jul. de annonâ, quæ novi aliquid disponere voluit, de hoc
 71 casu intelligendam esse. De posteriori verò non ita sim-
 pliciter negativam apprehenderim. Nam ad hanc non pos-
 se accommodari rationem *l. ult. ff. de Jdict.* quod extra ter-
 ritorium jus dicenti impune non pareatur, vel ex eo ap-
 paret, quod aliàs nec princeps peregrinis vendere aliquid
 in ipsius Republ. volentibus, legem venditionis præscribe-
 72 re possit, quod tamen nemo affirmabit. Et notum est in
 jure forum contractus foro domicilii contradistinctum, quod
 omnes illi agnoscunt, qui in loco quodam contrahunt,
 quàmvis alias quoad forum domicilii Jurisdictioni istius
 73 judicis non sint subjecti. Quemadmodum ergo in Politi-
 cis distingvi solet inter cives propriè dictos & analogicè ta-
 les, quorum posteriores etiam momentaneos appellare pos-
 sis, quales censentur esse omnes peregrini (exceptis perso-
 nis majestaticis eorumve Legatis) quamdiu sub territorio
 principis cujusdam vivunt, juxta commune effatum, quod
 quilibet illius loci juribus se subjecisse præsumatur, in quo
 74 deprehenditur; Ita & quoad *d. l. ult. ff. de Jurisdic.* videtur
 discrimen faciendum inter: *Jus dicere exteris*, &: *Jus dice-
 re extra territorium*, quorum illud nemini Jurisdictionem
 habenti in dicto textu denegatur, modò cæteris paribus &
 secundum limitationem nostram id intelligatur; hoc vero
 ad Senatum, rusticis vicinis annonam invehentibus legem
 75 venditionis ponentem non poterit accommodari. An ita-
 que decisio nostra n. 47. etiam ad externos in dato casu ex-
 tendenda erit, ut & his dicamus magistratum municipalem
 frumen-

Frumentum vendendum taxare posse; Ita videtur. Sed in contrarium tamen movent *verba d. l. ult. ad L. Jul. de annonâ: quod invebitur*, per quæ videtur decurionibus prohibitum esse ne extraneis, qui *invehere* solent in municipium res venales (quod de incolis commodè prædicari nequit) pretium venditionis dictitent. An ergo fortè ita pronun- 76
ciandum? Quamvis alias exteris quoq; in territorium nostrum venientibus liceat leges præscribere, tamen quoad venditionem frumenti id noluisse Imperatores municipio concedere ob eam rationem, quod, si moderatum pretium victualibus quæ foris afferuntur, & sæpè magno cum periculo atq; impensis, imponeretur, facile evenire possit, ut, ubi deberet oriri magna abundantia, quam & magistratus municipalis procurare debet, ibi sequeretur penuria contra omnia jura, quæ volunt, ut quibusvis modis exteri ad vendenda cibaria alliciantur. *Vid. Peretz. ad tit. C. ut nemini liceat in emt. spec. lib. 10. n. 9. Et conf. Covarruv. lib. 3. var. resolut. c. 14. num. 3.* Verum cum & ista ratio non sit univer- 77
salis, sed solùm exteros quosdam & qui magnas impensas adhibent, non verò omnes, & maximè vicinos respiciat, imò si abundantia frumenti adsit, in quâ tamen etiam extranei suam portionem inferre consueverunt, planè nullum inveniat locum, ac tertio facile evitari possit, si magistratus permittat ut exteri majori pretio ad impensas proportionato victualia vendant; putamus omninò regulariter senatum municipii etiam exteris frumenta ibi vendentibus pretium imponere posse, cum limitationibus tamen istis, quas *n. 56.* addidimus. Ad quarum primam si dicamus *d. leg. ult. 78.* esse referendam, benè se res habebit; Etsi enim tùm temporis Imperatores municipalibus magistratibus prohibuerint, utne exteris pretia ponant, singulari fortè ratione moti; cum tamen hodiè contrarium moribus observari quotidie

tidiè videamus; etiam respectu exterorum hoc tempore magistratus jus taxandi usurpabit, & dicta lex per usum contrarium videtur abrogata.

- 79 Competit ergo magistratui municipali quà tali potestas frumento pretium imponendi, quod præter rationes n. 54. seqq. allatas etiam ipsa necessitas efflagitare videtur, cum principi ipsi impossibile sit, ob maximam circumstantiarum varietatem generalem taxam in municipiis suis ob-
- 80, servandam proponere. Elegantissima hanc in rem sunt verba DN. JOHANNIS GEORGII I. gloriosissimæ memoriæ in der Tax-Ordnuug de anno 1623, quæ reperitur in Corpore Juris Saxon. part. I. f. m. 384. edit. antiq. So vtel nun anfänglich den Getreydigkauff betrifft / hätten wir zwar nichts libers gesehen / als daß Wir für allen Dingen die Taxation der lieben Feld-Früchte / nach deren An- und Einkauff sich mehrentheils die pretia anderer Dinge reguliren / gleichsam pro fundamento hätten sehen können. Nachdem aber unsere hietinnen gebrauchte Commissarii in allen Cräissen einhelliglich befunden / daß es nicht allein des unterschiedlichen Maasses / sondern auch nach Gelegenheit der Land-Art / der Fruchtbarkeit / auch gelegenen oder ungelegenen An- und Zu- Fuhre auß denen benachbarten Dörtern zu Wasser und Lande / wie nicht weniger der Güte des Getreydes einen allgemeinen / oder auch in jeglichem Kreyß einen besondern Anschlag zu machen / fast unmügllich / ja auch wegen steigenden und fallenden Getreydigkauffs nicht wohl
82. thunlich oder rathsamb seyn wollen: So haben Wir ein solches dahin stellen müssen / jedoch mit dieser außdrücklichen Ver- sehung und Befehllich / daß jedes Orts Obrigkeit ihren Pflichten nach / solche Ordinanz mache / daß nach Gelegenheit der Zeit das Getreydig umb billichen Werth verkaufft / zu offnen feilen Markt gebracht / auff die Vorkäuffere und andere eigen- nützige Leute / so das Getreyde im Lande hin und wieder heim-
- lich

lich besprechen / abführen / auffschütten / und hernach ihren Un-
 christlichen Wucher und Schinderey damit treiben / ein ernstes
 einsehen gehabt / und mit Exequirung der darauff gesetzten Straf-
 fen unnachlässig wieder Sie verfahren werde. Hæc quoad Jus 83.
 Saxonicum, ubi per allegatam constitutionem, Senatui mu-
 nicipali potestas taxandi, relinquitur. Verùm illâ tamen,
 non adedò frequenter utuntur magistratûs nostri, sed ex
 consuetudine (uti & Lipsiæ fieri solet) frumenta secundum
 pretium naturale *vid. n. 98.* vendi communiter patiuntur.
 Quid in Marchiâ obtineat docet Excell. Dn. Stryk. *Disput. 84.*
alleg. de Dardan. c. 3. §. 35. Pergerem ad alia, nisi novum du- 85.
 bium ex dictâ ordinatione taxæ Saxonicâ subortum tollen-
 dum prius esset. Nam cum Serenissimus Princeps cujusli-
 bet civitatis magistratui expressè *mandaverit* ut ordina-
 tionem talem, qualis *num. 82.* commemorata est, confici-
 at, verbis: mit dieser ausdrücklichen Vernehmung und Befehl
 lich; & prætereà reliquis victualibus, ut carni, piscibus, o-
 vis, butyro, caseo, &c. ipse pretium ibidem dictaverit: ar-
 ripient hoc dissentientes, & inde concludent, ordines mu-
 nicipii jus pretii dictandi in annonâ sine speciali mandato
 exercere non posse. Sed hæc quidem tanti non sunt. Nam 86.
 1. quod carnis, butyri &c. taxam attinet, non idedò eam ex-
 hibuit optimus princeps, quasi magistratibus inferioribus
 in hisce potestatem taxandi adimere voluisset, sed potius ut
 in pretio his rebus ab ipsis imponendo præpositam ordina-
 tionem, quantum possibile, sequantur, cæterùm vero ipsi
 eandem juxta discretionem suam cuivis municipio appli-
 cent, ac omissa suppleant, quò faciunt *verba præfationis*
Tax-Ordnung d. f. 384. ferè ab init. wie denn die Unter Obrtg-
ketten &c. & præfamen taxa des Fleischlauffs f. m. 385. 2. Qvod 87.
 de frumento in specie objiciebatur leve est. Nam quam-
 vis mandati etnes Befehlchs mentio fiat *n. 82.* non tamen ex-

inde concludendum, quasi sine hoc magistratûs inferiores taxam imponere non potuissent, sed, uti contextus ostendit, voluit solùm optimus Pater Patriæ eosdem his verbis officii sui, quod ipsi jam jure magistratûs competeat, admonere, quod innuunt verba: *Ihren Pflichten nach.* Et ergo tantum abest, ut dictus locus nobis obstet, ut potius sententia nostra novum robur accipiat.

88. Quæ de efficiente taxationis frumentariæ causâ prolixè hæctenus exposuimus, ad alias quæstiones decidendas nunc commodè prouderunt. Quæritur enim porro tum de objecto reali taxationis: *An pretium frumento etiam non venali statui queat?* Quam affirmativè decidimus per dicta n. 61. 89 *seqq.* tum de objecto personali: *An etiam exteris frumenta in territorio nostrò vendentibus pretium dictari possit?* Ubi distingvimus inter supremum principem & magistratûs inferiores. Ille semper hanc potestatem exercere poterit, *vid. num. 71. seqq.* ita tamen ut circumspiciat, an id ex re Reipublicæ sit futurum; Hi verò eadem regulariter quidem vi concessæ Jurisdictionis pollere videntur, sed in casu tamen irruentis annonariæ caritatis illam non usurpabunt ob rationes n. 76. *seqq.*

- 90 De modo Taxationis dicendum restat, sive: *Quodnam sit justum taxationis à magistratu faciendæ pretium?* Ubi præsuppono: Pretium, esse vel naturale vel legitimum. Legitimum dico illud quod res ex statuto vel lege accepit: Naturale, quod res ipsa seclusâ quacunq; lege humanâ ac publ. decreto habet. In quo tamen communiter non ipsa naturæ rei præstantia, sed potius quàm maximè usus quem hominibus præstare solet, adspicitur. Nam, si illa hîc attendenda foret, utiq; pediculus frumenti grano carius vendi deberet, quoniam rerum sensitivarum natura præstantior est vegetativis. Aliquando tamen in hoc pretio etiam affectio

fectio hominum locum sibi vendicat, & aded non semper
 ex ipsâ rei intrinsecâ naturâ desumitur. Quicquid tamen^{92.}
 hujus sit, nihilominus huic pretio vocabulum *naturalis* ac-
 commodare licebit, cum illud hîc præcisè sumatur oppo-
 sitivè pro omni eo, quod non est legitimum, præeunte Mo-
 linâ *de J. & J. Tract. 2. disp. 347.* Quibus præmissis, puto cui^{93.}
 libet patere, quæstionem in præsentî non esse de justo pre-
 tio frumenti naturali, cujus requisita latius persequitur Mo-
 lina *d. l. disp. 348. & mult. seqq.* deq; eo infrâ in materiâ em-
 tionis plura dicenda se offerent; sed legitimo, inter quæ
 duo ea quoque est differentia, quod illud ob varias circum-
 stantias & voluntatem privatorum hominum variam & ipsû^{94.}
 variet, ac latitudinem quandam admittat, unde à Dd. com-
 munitè in tres species dispescitur; supremum seu rigoro-
 sum, medium seu moderatum, & infimum seu piû; Hoc
 vero, quoniam jam ex magistratûs voluntate determinatione^{95.}
 accepit, indivisibile est, nullamq; accessionem admittit, sed, si
 aliquid amplius accipiatur, etsi in dimidio non sit læsus, ven-
 ditio tamen statim injusta erit, & violans legem pœnæ obno-
 xius. *Vid. Molina dict. Disp. 347. Grot. de J. B. II. 12. 14.* Quamvis^{96.}
 itaque subditi de pretio à principe posito disputare non de-
 beant, sed præsumtio sit pro pretio, justum illud esse, quo-
 niam soli principi cura utilitatis reip. ex quâ etiam rerum
 pretia augmentum & detrimentum capiunt, relinquenda
 est; Debet tamen quilibet bonus magistratus in taxatione^{97.}
 æquitatem naturalem ac justum pretii naturalis non post-
 ponere, aded ut, si certum sit, hanc æquitatem esse omis-
 sam, non solum peccet princeps, aut iste, cui facultas hæc à
 principe est concessa, sed etiam ex mente Dd. tales leges
 subditos in conscientiâ non obligent. *Molina d. l. Disp. 364.*
n. 3. Justum itaq; pretium magistratus quilibet tum ex eo^{98.}
 quomodo communiter vendi solet, statuere poterit, tum
 si usum

si usum attendere nolit, ipse pro arbitrio, ad circumstantias tamen certas accommodato, determinabit. Enumeravit has circumstantias omnium optimè Serenissimus Elector loco *suprà* n. 80. *seqq. descripto*, ubi non tantùm ad varietatem mensurarum oculum convertere jubet, sed & ad impensas in advectionem ex remotis locis factas; porrò ad fertilitatem loci, frumentique abundantiam, item ad præstantiam ejusdem (sic triticum hordeo regulariter præstantius) ac bonitatem (inde pessimè agunt magistratùs, qui culpà suà corruptum frumentum subditis ad id compulsis eodem pretio vendunt quàm integrum. Perez. *ad tit. Cod. de cond. in publ. borrr. n. 7.* Brunnem. *ad l. 1. ejusd. tit. n. 6.*) quam & aliquando ex naturà loci nach *Gelegenheit der Land- Art* accipere solet. Indicæ historiae, referente Klockio *de arar. lib. 2. c. 1. n. 73. 74.* docent, duo millia granorum fuisse numerata ex unâ aristâ, ubi plura de fertilitate Regni Polonici & Turcici videri possunt. *Conf. cap. 1. n. 107.*

102 Ex dictis jam facilè decidi poterit altera quæstio: *An princeps, si jubeat tempore carestie frumentum à subditis, qui eo abundant, vendi, justum pretium debeat statuere, an vero sufficiat injustum?* h. e. an illis, qui frumento abundant, justè imponatur, ut illud viliori, quàm communiter vendi solet, pretio vendant? Vid. Excell. Dn. Stryk. *l. alleg. §. 13. seq.*

103 Ad quam quidem in genere consideratam affertur distinctio inter pretium justum absolutè consideratum & respectivè, cum respectu nimirum illius temporis, quo pretium

104 statuitur. Quæ distinctio ita applicari solet, ut dicatur: Pretium istud vilius, quàmvis injustum videatur respectu istius temporis, quò aliàs & citrà impositionem principis carius vendi solet communiter frumentum, esse tamen justum, si absolutè spectetur, & quatenus à principe statutum est. Breviter: Distinctionis hujus sensus eò redit: Taxam hanc

hanc esse injustam, si naturale pretium consideres, justam, si legitimum *conf. supra n. 90. seq.* Sed aliis judicandum re-¹⁰⁵linquo, an hæc distinctio litem tollat, sententiasq; dissentientium conciliare possit? Mihi sanè, cum ex Molinà *n. 96. seqq.* præsupposuerim, & Principem, & quemvis Magistratum in pretio statuendo circumstantias illas, quibus justum naturale determinatur, adspicere debere, *conf. Dn. Stryk. d. l. n. 22.* atque adeò ex hæc hypothesi justum naturale & legitimum vix videantur sibi opponi invicem posse, potius¹⁰⁶ eorum arridet opinio, qui negant, vilius pretium quàm communiter venditur justè à principe dictari posse, tum ob rationem jam dictam, quia ita justum naturale violaretur, si ob solam abundantiam, quæ tamen in se spectata nihil iniquitatis secum fert, non solum quis cogeretur vendere, sed & vilius vendere quàm alii cives: tum alias ob causas ab *Excell. Dn. Stryk. d. l. n. 14. & 15.* recensitas. Nec obstat as-¹⁰⁷sertioni nostræ *l. 27. §. 3. ff. de Usufr.* ubi inter alia onera ab usufructuario ferenda, recensetur, quod & ille debeat fructus, qui ob transitum exercitûs vel municipio conferuntur, præstare, additurque ibidem, solere possessores certam partem fructuum municipio viliori pretio addicere, ex quo¹⁰⁸ colligit Gottofredus *in Not. ad d. l. lit. F.* pretium frumenti vilius constitui posse à magistratu, non modò famis, sed & quovis tempore. Subtilius glosa marginalis: Vendere aliquem viliori pretio res suas *aliquando* cogi posse. Quod si enim textum penitus inspicias, patebit, propositum Jcti¹⁰⁹ ibi esse, ut ostendat onera realia ac publica ab usufructuario ferenda esse, cum hæc respectu ad perceptionem fructuum habito imponi soleant. *Vid. Sebastiani Nævii Systema ad d. l. 24. (quæ ipsi est 34.) §. 3. ff. de usufr. f. m. 137. & B. Bruneman. in Comment. ibid.* Quod ergo de additione fructuum pro viliori pretio ibi habetur, ad ea referendûm est,

quæ extraordinariè à principe & per modum tributî, proportionè tamen observatâ, imponi solent, cuius tributî vicem in hoc casu pretium quâ vilius est, subit, idq; *arg. l. 3. pr. ff. ad L. Jul. de ann. l. 8. ff. ad municip. § l. 5. ff. de admin. rer. ad civit. pertin.* probatur, ubi Decuriones ab hoc onere per privilegium immunes esse jubentur. Ex hoc itaque casu irregulari nequaquam cum Gottofredo regula quædam formanda erit, sed dicendum potius cum Glossâ, exceptionem ibi ob specialem causam à regulâ communi, quam *n. 26.* formavimus, contineri. In *l. 2. §. 2. § 4. ff. ad l. Rhod. de jactu*, quâ etiam vilioris pretii patroni pro se utuntur, *vid. Dn. Stryk. d. l. §. 16.* illud solum dicitur: Quod in computatione damni & lucri merces servatæ æstimari debeant quanti venire potuerint, quàmvis viliori pretio fortè sint comparatæ; In mercibus autem ejectis inspicere pretium, quanti emtæ sint, quàmvis pluris vendi potuerint, quoniam detrimenti non lucri fiat præstatio, ac sufficere debeat Dominis si amissarum mercium pretium quo illas compararunt, recuperent, cum hoc modo lucrum sibi casu interceptum esse æquo ferre possint animo. *Vid. Dn. Struv. Syn. tagm. Jur. Civ. Ex. 20. th. 19.* Otiosum ergo esset ad hunc textum respondere, nisi prius inde fiat argumentum, sic concludens: Principem posse tempore annonæ iis, qui copiâ frumenti abundant, vilius pretium dictare quàm communiter vendi solet, quod quomodo fieri possit, nondum *video.* Illud interim ambabus concedo manibus, si Dardanarius sit iste, qui eum in finem comparavit sibi annonæ abundantiam, ut tempore caritatis eandem carius vendere possit, non injustè facere magistratum, si eundem cogat, ut viliori pretio, quàm communiter comparari solet, illud vendat, *Vid. Dn. Stryk. d. l. n. 23.* aut etiam planè donet. Exemplo Caroli Flandriæ Comitis, qui Tamardum è gratiosissimis aulicis,

aulicis, alendis à fisco egentibus præfecit, ipse cum loculis in vulgus prodibat circum templa obambulans stipemque suâ manu mendicis promens. Dardanariorum, eorumque, qui annonam flagellabant, & clausis horreis frumentum, suppresserant, nequitiam comprescit, apertis conditoriis, triticoque in egenos distributo. Quâ popularitate adeo carus subjectis fuit, ut coësi à sceleratis hominibus corpus pro se quisque tanquàm sanctas reliquias veneraretur, osculaque ferrent, denique capillorum aliquid, barbæq; , atque adeo unguium & vestimentorum domesticâ religione aservarent colerentque, uti ex Paulo Æmilio refert Forstnerus *ad IV. Ann. Taciti verba: Pacem exuere &c. p. m. 397. edit. in 8.* At in talibus casibus propter abundantiam solam Dardana-¹¹⁶riis vile pretium non imponitur, sed quod injustè abundantiam hanc sibi comparaverint, adeoq; vilitas ista justa quidem erit, at non quâ pretium est (in hoc enim solùm æqualitas inter rem & rem sive pecuniam & mercem absque respectu personæ requiritur) verum quâ pœna, h. e. dum vendenti in pœnam detentionis aut injustæ comparationis tantum detrahitur, quantum aliàs communi pretio spectato carius rem suam vendere poterat.

Non absimilis ab antecedente est illa quæstio: *An ma-*¹¹⁷
gistratus tempore caritatis frumento vendendo eam taxam com-
muniter imponere possit, quâ fuit venditum tempore abundan-
tia? Quam ex iisdem principiis negamus, cum in pretio rerum harum vel augendo vel minuendo maximè circumstantia sterilitatis ac abundantia attendi debeat. *Vid. Molina d. l. Disp. 364. n. 3.* Utriq; tamen decisioni illud objici à¹¹⁸ quibusdam solet, si utroq; tempore eodem pretio vendatur frumentum, vel divites cogantur etiam viliori adhuc id vendere, bono illud communi expedire, ut nimirum pauperes non graventur sed commodè illud emere possint. Sed

- 119 frustra hæc dicuntur. Ita enim utilitas publica à Principe curanda est, ut honestas quoq; seruetur, neq; ex illâ utilitate injuriam patiantur privati, ac Dominium eminens, per quod damnum privatis ex publico compensandum inferitur, tum demum vires suas exerit, si aliter res tractari
- 120 nequeat, sed necessitas summa adsit. At pauperibus alio & multò meliori remedio sine ullius injuriâ subveniri potest, si eleemosynæ ipsis dentur quibus victualia sibi emere queant, uti Carolum Flandriæ Comitem fecisse *n. 115.* relatum est, aut ex horreis publicis panis inter eos more Romanorum distribuatur. Reliquas hujus taxationis iniquitates
- 121 apud Molinam *d. l.* videndas nunc omitto. His accedit quod tantum absit, ut publica per ejusmodi legem procureretur utilitas, ut potius eadem quam maxime impediatur.
- 122 Ammianus Marcellinus equeidem *l. 22. c. 32.* Juliani institutum maximè eo nomine reprehendit, qui popularitatis studio, cum divites pretia rerû per avaritiam auxissent, convocatis agricolis, opificibus, cauponibus &c. persuadere voluit, ut æquitati animum accommodarent, legemque de pretio frumenti viliori sancivit, & eam suo exemplo firmavit, obnitentibus tamen senatoribus ac suum frumentum occultantibus. Quod factum quamvis extollat Libanius *tom. 2. edit. Paris. orat. 10. p. 306.* Ammiani tamen iudicium verû fuisse Socrates *lib. 3. hist. Eccles. c. 17.* docet, ostendens, Julianum popularitatis studio ultra quàm oportebat fieri, minuisse rerum pretia, non considerantem, quid temporari conveniret, & quod multitudo militum provincialibus molesta copias civitatum absumeret. Hinc factum esse, ut caupones & negotiatores metu L. Julianæ foro abstinerent, rerumque inopia, cui obviam ibatur, ultrò eveniret.
- 124 Cautus propterea Tiberius, qui, cum sæviciam annonæ incusante plebe Romanâ pretium frumento, quod
- emtor

emtor penderet, vilius statuisset, simul venditoribus prospexit, ne à venditione victualium absterrentur, dum binos nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios constituit. vid Tacitus *ann.* II. c. 87.

Alteram quâ caritas annonæ induci in Rep. solet, causam *cap.* 2. n. 8. dixi esse nimiam frumenti coemptionem à privatis tempore abundantiae factam, quam avertere bonus princeps poterit, si non solum monopolia ejusmodi attentata severè prohibeat, subditosque suos, ut abundantem victualium copiam vendent, cogat, sed etiam, si in hujusmodi Dardanarios poenâ gravi observet, de quo latius agemus *infra ubi emtionis venditionis contractum & crimina annonæ considerabimus.*

CAPUT IV.

DE

Vectigalibus ob Frumentum solvendis.

SUMMARIA.

Continuatio n. 1.

Origo vectigalium n. 2.

Quis eorum primus autor? n. 3.

seq. ubi notatur Pancirollus n. 5.

Quomodo differant vectigal, tributum, collecta, n. 6. 7. 8. 9.

Vectigal sumitur hic latè ut tributum & collectam comprehendat n. 10. dicitur Germanicè

Dak n. 11.

Vectigalis descriptio n. 12, differentia ejus à Canone n. 13.

Vectigalis causa efficiens n. 14. Ve-

ctigalia illicita n. 15. Vectigal in

Catalonia solvunt viri cucurbitati n. 16.

Vectigal vel extraordinarium est,

vel ordinatum n. 17. Ordinari-

um triplex: Portorium, decima scriptura n. 18. 19.

Decima quid hic loci n. 20. Ex fru-

mento olim apud Hebraeos solu-

ta n. 21. & apud Aegyptios n. 22.

& Romanos itidem n. 23. Quid

D 3

hodie

hodiè in usu n. 24. Huc spectat
avena saluialis n. 25, item Bet-
garben oder Betkorn n. 26. olim
decime precario data n. 27.
quod postea immutatum n. 28.
Magistratus easdem modicè exi-
gere debet n. 29. Plura de preca-
riis relativè n. 30.

Circa portorium quæritur: an li-
cité de importato & exportato
frumento vectigal exigatur n. 31.
Distinguitur n. 32. Qui ad usum
quotidianum illud emit vel ven-
dit à vectigalibus immunis esse
debet n. 33. 34. Secus si negotia-
tionem exerceat n. 35. 36. 37.
Quid de jure Civili? Explicatur
l. 5. C. de vectig n. 38. Lex similis
Francorum n. 39. Distinctio dicta
non semper observata n. 40. Ne-
gotiatores aliquando à por-
torio immunes n. 41. idem
rursus à privatis ad usum quo-
tidianum ementibus &c. exac-

tum n. 42. 43. 44. an justè? n. 49.
temperare debet Princeps in hu-
jusmodi vectigali imponendo n.
46. Hodiè Nobiles à prestatione
vectigalis exempti n. 47. 48. 49.
50. An stante statuto ut de quâ-
libet regabella solvatur etiam
de virtualibus eadem præstanda
sit? n. 51. An statutum de fru-
mento vectigal exigens ad favi-
nam extendendum sit? n. 52.
Frumentum ad sationem de-
stinatum an immune sit à vecti-
gali? n. 53. an item frumentum
ad usum exercitus deportatum?
n. 54.

Circa vectigal extraordinarium
quæritur: An collectam tempo-
re caræ pro emendo grano
impositam solvere debeant pau-
peres & ac divites? Aff. n. 55.
Ab oneribus patrimonialibus
nemo immunis est. n. ult.

1. **R**ecensitis Cap. 2. & 3. remediis principes annonæ cari-
tatem evitabunt, in iisque potissima potestas eorum,
quâ leges subditis suis circà frumentum ad publicam
utilitatem præscribunt, consistit. Pro quâ curâ, ut & in
2. genere pro eâ, quam in aliis rebus ad commune commo-
dam impendunt jus vectigalium ac tributorum ad sustinen-
dum eorum dignitatem, Pancirollus *Tbesaur. var. lect. lib.*
3. c. 31. p. m. 488. Bœclerus *dissert. Polit. 7. p. m. 357. 358.*
inventum est, quod regale quomodo in frumento locum
habeat, restat ut breviter perlustremus.

Quis

Quis auctor tributorum ac vectigalium fuerit hic
 prolixè disquirere nostrà non interest. Optima videtur o-
 pinio Bulengeri *de vectig. pop. Rom. cap. 1. ab init.* ea penè
 cum regibus nata esse. Nam vetustissimam eorum originem
 fuisse docet *Genes. c. 47.* ubi regibus Ægypti quinta pars
 fructuum tributi nomine præstita narratur. Apud He-
 braeos primò Deum imperasse, ut dimidium sili offerrent,
 qui annos viginti excesserant ex *Exod. c. 30. vers. 13.* refert
 Panciroll. *d. l.* Post hunc addit, legitur, *populum Israeliticum*
rogasse Roboamum regem ut se sublevaret ab oneribus à Salo-
monne ejus patre impositis. Sed tamen & ante Salomonem
 à Saule & Davide vectigalia & collectas fuisse exactas pro-
 babile est, cum Samuel inter capita juris Regii *1. Sam.*
c. 8. vers. 15. potestatem addecimandi expressè referat, & nul-
 la resp. sine vectigalium jure subsistere possit. Bulenger.
 & Bœcler. *dd. ll.* Varias aliorum de auctore vectigalium
 juxta diversitatem polulorum, sententias vide ap. Panci-
 roll. *d. l.*

Distingvendæ verò ante omnia hic sunt voces vecti-
 galis, tributi, & collectæ. Vectigal propriè appellatur
 census ille, qui pro mercibus tam importatis quàm expor-
 tatis & earum vectoribus penditur, diciturque alio nomine
 portorium. Schickardus *de Jure Reg. Hebr. cap. 4. theor. 15.*
p. m. 275. item gabella & pedagium. Cardin. Tuschus, *con-*
clus. Jurid. concl. 1. lit. G. Tributum à devictis hostibus in re-
 cognitionem subjectionis quotannis tribuitur, Schick. *d. l.*
p. 278. ubi & Collectas ita describit, quod sint contributio,
 quam princeps extrà ordinem à subditis exigit. Unde patet,
 quod ex mente Schickardi potissima inter collectam & tri-
 butum differentia à tempore desumatur, ita ut illa extrà
 ordinem tempore non fixo præstetur, hoc vero quotan-
 nis exhibeatur. Non ineptè sanè, nisi quod tributi vocem
 nimis

- nimis strictè videatur accepisse pro eâ pensione, quæ ab hostibus devictis annuatim datur, cum tamen & subditi quotannis censum quendam in superioritatis recognitionem pendere soleant. Quod si ergo vocem hostium in descriptione tributi omittas, in reliquis amplectenda videtur Schikardi opinio *Conf. & Besoldum de erario publico cap. 4. n. 13.* Quamvis alii circa distinctionem harum vocum aliter procedere soleant. *Vid. Klock. de contribut. cap. 1. n. 161. seqq. Bulenger. de Vectigal. populi Rom. cap. 2. p. m. 6. B. Brunnem. ad l. 1. C. de annon. lib. X. n. 1.*
9. Et si igitur vectigal per dicta à tributo & collectâ differat, cum tamen hæc singula in eo convenient, quod ab inferioribus præstentur superioribus, licebit quoq; vectigalis vocabulum tam latè accipere, ut & de tributo & collectâ prædicetur, quod Doctoribus non inusitatum est. *Vid. Wesenbec. Part. 7. conf. 303. n. 62. & quos allegat Nicol. Mylerus ab Ehrenbach de princip. & Stat. Imperii Part. 2. c. 64. n. 11. conf. 11.* Boecl. *Disf. Polit. 7. p. 358.* Respondet huic latæ acceptioni Germanicum vocabulum *Datz* / quod reperitur in Kittingensium privilegio, & vectigal notare videtur à dando, quasi quod datur. Unde & Italis *Datio* appellatur, quibus *Datio di porto* in specie portorium significat, & Itali Doctores vectigalia nuncupant *Datia*. *Vid. Wehner. sub voce Datz.*
12. Describo vectigal in hac latâ acceptione, quod sit pensitatio, quæ superiori tanquam magistratui ab inferioribus ex ipsius impositione solvitur. *Conf. Panciroll. d. c. 31. lib. 3. p. m. 482.* Ex quâ descriptione statim apparet, sermonem hic loci haud esse de illo vectigali, quod pro agro ad longum tempus locato vel emphyteutico solvitur, *Panciroll. d. l. p. m. 492.* & alio vocabulo canon appellatur. Hic enim superiori quidem datur, non autem tanquam magistratui, sed quâ in dominio est superior.

Causa efficiens vectigalium est voluntas superioris, quæ tamen suo fundamento nequaquam carere debet. Quemadmodum enim communiter à Dd. §. 6. *Inst. de J. N. G. & C.* sic explicari consuevit, ut principis placitum quod legis vigorem habere ibidem asseritur, æquitate niti debeat, ita & quilibet imperans operam dare obligatus est, ut ne in vectigalibus exigendis justitiæ limites excedat, cum ipsa rerum natura quorundam bonorum vectigal abhorrere videatur. Schickard. *d. l. p. 277.* Plenæ sunt historiæ vectigalium hujusmodi illicitorum, & exempla quamplurima collecta reperies apud Bulengerum *de vect. pop. Rom. c. 17. seq. item c. 26.* Besold. *de erario d. c. 4. n. 17.* Tholos. *Syntagm. Jur. univ. lib. 3. c. 10.* Klock. *de contribut. cap. 1. n. 328. seqq. conf. Eund. de erar. lib. 2. cap. 53. num. 60. & seqq.* (ubi ex Philandro non citat) *ridicula simul & injusta collectandi remedia recenset*) Ex quibus unicum saltem recensere liceat, quod ex Nevizani *Sylv. nupt.* narrat Besoldus *d. l.* in Cataloniâ virum cucurbitatum etiam si sit ignorans, solvere fisco solidos quadraginta, quod quidem tolerabile foret, si scientibus solum maritis collecta hæc imponeretur, imò optandum ac fortè Reip. maximè salutare & proficuum extitutum esset, nisi genius seculi obstaret, si & similis constitutio apud nos valeret; at dum in Cataloniâ ne ignorantibus quidem pepercerunt legislatores, in eo meritò dictum vectigal à Besoldo vapulat, cum juxta commune effatum ignorantia facti alieni regulariter excuset. Sed hæc obiter.

Ad Scopum ut redeam, vectigal generaliter consideratum vel ordinarium est, vel extraordinarium. De extraordinario vid. *n. ult.* Illud quod attinet, optimè ad præsens negotium videtur facere divisio apud Romanos olim usurpata, apud quos tria vectigalium genera constituta erant, Portorium, Decimæ, & Scriptura. Illud ex mercibus exportatis

portatis & importatis, istæ ex agriculturâ, hæc ex agris pascuis pendebantur. Panciroll. *d. c. 31. p. 488.* Bulenger. *de vectig pop. Rom. cap. 5.* Klock. *de contrib. c. 1. n. 101. seqq.* Ex his priora duo in materia frumenti potissimum consideranda erunt, tertio, cum ad rem præsentem parum faciat, hic omisso.

20. Ut à Decimis incipiam, per eas jam non intelligo decimas, quæ dantur personis Ecclesiasticis, quæque potissimam stipendii aut salarii partem, ex quâ se sustentare aut alere possint personæ Ecclesiasticæ, implent (de quibus infra agemus) sed, quas princeps de fructibus agri à Subjectis accipit ob agriculturam in recognitionem superioritatis, siue eadem in decimâ quintâ, octavâ, aut aliâ portione consistant, perinde erit, cum Decimarum nomen ab eo

21. quod plerumque fieri solet, acceperint. Decimas has antiquitus apud populum Hebraicum jam in usu fuisse, dubitare non sinit locus *1. Sam. 8. v. 15.* quod quamvis concoquere non possit Schickardus *de jure Regio c. 4. theor. 15. p. m. 269.* putans decimas ex jure divino fuisse personarum sacrarum, non verò politicarum proprias, accuratè tamen, pro more, ostendit Plur. Rever. & Excell. Dn. Carpzovius *ad d. l. Schickardi* non contraria esse, decimas ex instituto Dei personis sacris deberi, & Regem quoque de residuo no-

22. vas exigere decimas. Ante hæc tempora notum est, apud Ægyptios hoc vectigalis genus in usu fuisse, dum Josephus emtis prius omnibus agris ab Ægyptiorum populo postea sub pensione quintæ partis frugum annuatim solvendæ eisdem colendos possessoribus reddidit, *Gen. 47.* illudq; Orosius *lib. 1. c. 8.* ad sua usque tempora servatum fuisse testa-

23. tur. Romani à subactis provinciis decimam maximè de frumento exigere soliti sunt *conf. supra c. 2. n. 19.* ita tamen ut aliquando certam summam toti provinciæ indixerint

exem-

exemplo Julii Cæsaris apud Plutarchum *in vitâ ejus* qui 20.
 myriades tritici & olei librarum 300. myriades ex Africâ
 Romam advehi jusfit. Quin & antiquitus variâ pro cujus-
 que provinciâ fertilitate species, imò & quantitate diversâ
 exactâ fuere. Campanos enim in Italiâ vicesimam frum-
 menti solvisse Cicero scribere videtur *in orat. pro Lege Ma-*
niliâ. Postea tamen æqua omnium ferè fuit conditio, præ-
 ceptumq; cuique populo, ut quinquagesimam frumenti,
 hordei quadragesimam, vini & lardi vicesimam principi
 solverent: Armeniâ verò regionibus frumenti & hordei
 quadragesima, vini & lardi decimaquinta est imperata, *l. 9.*
C. de suscept. lib. X. Panciollus *d. l. p. 489. 490.* Tholosanus
Syntagm. lib. 3. c. 5. n. 6. Bulenger. *de vectig. cap. 7.* Sed & ho-
 diè apud nos harum decimarum usus viget. Ita enim sæ-
 pè quis ex prædio suo quotannis aliquot mōdios frumenti
 loco pensionis præstat, secundum jugera & mansos, quæ pen-
 sio terragium vocatur, *Pfachtorn / Hubeforn / Schuldorn /*
Samhaber / Bogthaber / Hundshaber / die Dritte / Vierte /
Behende oder Zwanzigste Garb von allen Früchten. Klock. *de*
tribut. cap. 1. n. 316. Besold. *Thesaur. Pract. voce Behde p. m. 180.*
 Fortè & huc spectat avena saltualis der *Jagthaber /* cujus ex-
 igendæ jus cui & quomodo competat, vide Sichard. *conf.*
contr. 5. n. 3. allegante Besoldo *d. l. voce Jagen circa finem p.*
m. 736. Vocantur & hæ Decimæ alio nomine *Beigarben* *v. 126*
der Beiforn / cum antiquitus certi frumenti fasciculi magi-
 stratibus precariò in recognitionem dominiî dari soliti fue-
 rint. Mundius *de muner. & honor. c. 2. n. 422.* Mart. Mayer.
de advoc. armat. c. 7. n. 213. Nam cum priscis seculis agri-
 colæ potentiorum injuriis premerentur, sese in nobilium
 servitutem quodammodo addicèbant pro tempore, iisque
 annua ultrò munuscula porrigebant, uti de rusticis Galliæ
 refert Julius Cæsar *lib. 6. de bello Gallie.* Quorum munc-

- rum nonnulla postmodum detorta sunt in necessitatem, quasi debiti novandi ac continuandi, ut adeò quod à principio beneficium fuit, usu atque ætate factum fuerit debitum, Choppinus *de privilegiis rusticorum lib. 1. part. 2. c. 1. p. m. 41. 42.* & ex *Bethen* oder *Beten* ortum sit *Gebtete* / ex
29. *Bethe Gebot*. *Besoldus d. l. voce Bette*. Suadendum igitur magistratibus decimas hujusmodi exigentibus consilium *Bodini l. 6. de rep. c. 2.* ut adversus tenues id fiat modicè, ne bonis artibus & industriæ bellum indici videatur, potissimum verò cum aratoribus, qui alienos agros colere, non suos, consueverunt, mitius agatur. *Klock. de arar. lib. 2. c. 1. n. 72.* Unde & Francicis edictis vetantur magnates indebitas pensiones agrarias à subditis arborum cultoribus
30. exigere. *Chopp. d. l. p. 42.* Cæterum de hujusmodi precariis & quod regulariter non nisi ordinario magistratui solvantur, allegat *Besoldus d. l. responsum Gœddæi in causâ Friedberg. punct. 1. n. 10. seqq.*
31. Venio ad portorium, *vid. n. 18.* circa quod, cum ex *Schickardo supra n. 14.* retulerimus, ipsam rerum naturam à quorundam bonorum vectigali abhorrere, de frumento nunc quæritur, an sub hujusmodi rerum nomine comprehendatur, sive an licitè de importato aut exportato frumento vectigal exigatur? Distingvimus cum communi *Dd. Scholâ*, an aliquis negotiationem in frumento exercent, an
32. verò privati usus gratiâ solum illud emat vel vendat. In posteriori casu æquum omninò est, ut emtores frumenti à vectigali immunes sint, cum aliàs facillimè evenire possit, ut pauperrimi, qui multitudine liberorum obruti sunt, adeoq; majorem quantitatem victualium comparare sibi necesse habent, majorem summam portorii hujus exolvant, quàm ditissimi homines, qui, si familia ipsorum non ampla sit, paucioribus quoque victualibus pro sustentandâ eadem
- dem

dem indigent. Constat autem vectigalia ac omnia mune-^{34.}
 ra patrimonialia regulariter juxta proportionem Geome-
 tricam, quæ potissimum bona civium respicit, imponenda
 esse. *Conf. Molinam de Just. & Jure Tom. II. disp. 669. ab ixit.*
Klock. de erario lib. 2. c. 53. n. 67. 68. Qui autem negotiatio-^{35.}
 nem in frumento exercent & ad eò quæstum ac lucrum ibi-
 dem quærunt, ab illis non video cur non æquè ac ab aliis
 mercatoribus tributum peti queat. Ubi tamen cautionem^{36.}
 eam adhibere princeps debet, ut secundum certam ac
 determinatam taxam frumentum illud vendant, neque in
 ipsorum arbitrio sit, summam pecuniæ, quam loco tribu-
 ti solvunt, ab emtoribus repetere, *wenn Ste/* uti Germani-
 cè loquimur, *den Verlust/ so sie hteran leyden/ auff die Wab/*
ren schlagen. Nam hoc modo maximè fraus fieret regulæ^{37.}
^{n. 33.} quæ emtores frumenti ad propriam utilitatem à vecti-
 galibus immunes esse volumus, quia tunc tributum solum
 apparenter à negotiatoribus frumenti posceretur, re ipsa
 verò à privatis, ad privatum usum frumenta comparanti-
 bus, solveretur, quod jam subodoratus est Molina *d. l. cir-*
ca finem. Congruit distinctio allata omninò Juri Civili,^{38.}
 cum universi provinciales pro his rebus, quas *ad usum pro-*
prrium inferunt, nullum vectigal solvere teneantur, pœnâ
 capitali in exactores statutâ *l. 5. C. de vectig.* ex quâ Dd. qui-
 dem communiter colligunt, de rebus omnibus, quas quis
 non venditionis vel negotiationis causâ emit, non solvi ve-
 ctigalia, *vid. quos allegat B. Brunnemann. ad d. l. 5. C. num. 3.*
 sed verba tamen *d. l. 5. ad usum proprium*, non ita latè de
 omni usu privato accipienda esse argumento est *l. 203. ff. de*
V. S. ubi ad usum proprium illud acquiri dicitur quod vi-
 ctûs causâ paratum est, quâ limitatione adhibitâ nihilomi-
 nus frumentum comprehendetur. Similis huic est Fran-^{39.}
 corum lex illa, cujus meminit Choppinus *d. l. lib. 2. cap. 9. p.*

m. 119. in not. lit. b. De rebus, quæ ad victum pertinent, nisi quis hujusmodi negotiationem exercent, nullus telonium
 40pendito. Reperies tamen & in contrarium exempla, ubi
 Legislatores non semper distinctionem hanc observaverunt,
 dum quandoque negotiatoribus frumenti immunitas à ve-
 ctigalium præstatione data fuit, quale privilegium in Re-
 gno Hispaniæ usurpant Hanseatici. Marquard. *de Jure Mer-*
cat. Lib. 2. c. 3. num. 34. quandoq; etiam à victualium ad u-
 41sum privatum emtoribus tributa sunt exacta. Prius quod
 attinet, cum princeps ex certâ ratione motus pro lubitu
 privilegia concedere valeat, quin talis constitutio immuni-
 tatem quibusdam mercatoribus à præstando vectigali con-
 cedens justa sit, in sensu scil. negante *vid. Grot. de J. B. &*
P. lib. 1. c. 1. §. 3. nemo fortè ambiget. Nam neque ad con-
 trarium actum h. e. ad vectigalis hujusmodi exactiorem,
 princeps intrinsecè movetur, sed hæc res tanquam indiffe-
 42rens, ipsius arbitrio determinanda relinquitur. Postero-
 ris generis legem olim Cæsar Caligula notante Svetonio *in*
vita ejus cap. 40 p. m. 258. tulit, ut pro eduliis, quæ totâ urbe
 venirent certum statutumque exigeretur. Id quod etiam ho-
 diè in plerisque Italiæ civitatibus usurpari testatur Panci-
 43rollus *d. l. 3. c. 31. p. m. 494.* In Belgio omnibus rebus quæ
 indies venduntur & emuntur, ut vino, cerevisiâ, cujuscun-
 que generis frumento & similibus rebus, quarum usus quo-
 tidianus tributa indicuntur, à quibus nemo immunis est
 excepto principe Aurasie, nec non Regum Gallie, Anglie,
 44Suecie & Reip. Venetæ Legatis, Marquard. *d. l. n. 71.* Sic &
 ex communi terrarum nostrarum observantiâ & de frumen-
 to quod ad molendinum fertur & de cerevisiâ præprimis
 extraneâ, quamvis ad domesticum usum hæc omnia com-
 parentur, loco tributi certa quædam portio aut pecuniæ
 summula, Germ. *Scheffelzuse / Biersteuer* regulariter pen-
 ditur.

ditur. In quem quidem collectandi modum ex Arnisæo⁴⁵
 graviter invehitur Besoldus *de arario cap. 4. rb. 15. pag. m. 80.*
 Verum cum communi ferè consuetudine per Europam à
d. l. 5. C. de vectig. recessum sit Marquard. *d. l. num. 72.*
 Christin. *Vol. 3. dec. 101. n. 5.* Mylerus ab Ehrenbach *de Prin-*
cip. & Stat. Imp. P. II. c. 65. malo ἐπέχειν, quàm contra Statuta
 patria aliquid in præsentì definire. Illud tamen omnino⁴⁶
 cavendum principibus, ne subditos hujusmodi tributis ni-
 mium quantum onerent. Nam aliàs facilè evenire potest,
 quod de Brugensibus refert Tholosanus *lib. 3. Syntagm. cap.*
10. n. 13. quibus cum impositum aliquando esset vectigal tri-
 tici, ipsi an. 1411. vi se liberarunt ab hóc onere, domoque
 quæ pro novo illo tributo colligendo Bambergæ extracta e-
 rat, malleis contracta & in profluentem abjecta Johannem
 Biese, Nicolaum de Zontere & alios tributi hujus invento-
 res exiliò puniverunt. Cæterum quamvis communi ferè⁴⁷
 Germaniæ consuetudine *l. 5. C. de vectig.* abrogata videatur,
 in nobilibus tamen eadem adhuc per modum privilegii ob-
 tinet, verum dicta distinctione, an negotiationem exerce-
 ant, an verò ad usum domesticum emant vel vendant, ad-
 hibita. Notabilia in hanc rem sunt verba in der Churfürstl.⁴⁸
 Sächs. Erled. *de ann. 1661. tit. Cammer- und Rent- Sachen S.*
Und wollen zum neunnden &c. So befehlen Wir htermite un-
 sern Zoll- und Geleits- Einnehmern / daß Sie dasientge / so die
 Einländische vom Adel und andere so Rittergüter besitzen / vor
 ihre Haushaltung und Besserung der Rittergüter bedürffen / auch
 da Sie von thren eigenem erwachsenen oder sonsten in der Haus-
 haltung erlangten Früchten / als Getreidig und dergleichen zu
 Märkte bringen / alten Brauch nach / doch auff ihre Patent o-
 der Paßzettel / frey durchkommen lassen. Jedoch da einer oder
 mehr von Adel übermäßige Wahren / Viehe oder anderes ange-
 ben / dessen er vor seine Haushaltung nicht gar bedürfftig / der o-
 der

- Der dieselben die Uebermaß solcher Bahren / so wohl als die ver-
 lauffen und wieder verhandteten / unnachlässig vergelten sollen
49. Simile privilegium in Imperio Romano nobilibus Rhena-
 ni & Wedderavici circuli datum *ex Constit. Carol. V. & Ru-*
dolphi II. quarum verba exhibet Nolden *de Statu nobilium*
Civili cap. 14. n. 44. seqq. & de Nobilibus circuli Franconici
 & Suevici idem asserit Klock. *in discept. polit. jurid. de ve-*
 50. *ctigal. Jure concl. 31. lit. H.* Unde simul illud perspicuum
 fit, quod diximus *l. 5. C. de vectig.* hodiè communiter ampli-
 us non observari. Aliàs enim non opus fuisset, ut nobili-
 bus ex privilegio immunitas talis à solvendo vectigali con-
 cederetur nisi reliquos homines ad præstanda tributa ob-
 51. strictos tenuisset communis observantia. Nolden *d. l.* Quà
 præsupposità facile judicare licebit, quid sentiendum sit de
 quæstione istà; an stante statuto, ut de quâlibet re Ga-
 bella solvatur etiam de rebus esui & potui aptis, quæ ad u-
 sum quotidianum comparantur eadem præstanda sit? *vid.*
Consil. Argent. vol. 1. cons. 2. n. 12. Distingvendum enim hic
 puto, an in eo loco, ubi statutum ejusmodi fertur Juris
 Civilis constitutio *d. l. 5. C. de vectig.* observetur, an vero
 usus eidem contrarius. Priori casu quæstionem nego, po-
 steriorem verò affirmandam censeo, utrumque ex istà ratio-
 ne quod statuta ex jure communi in dubio interpretati-
 52. onem accipiant. Porro nec illud ex suprâ dictis *cap. 2. n.*
57. seqq. ambiguum amplius erit. Si de frumento vectigal
 per statutum exigatur, etiam dictum statutum ad farinam
 extendendum esse, cum aliàs facile fraus legi fieri possit.
 Hect. Capyc. *Latro consult. 157. n. 17.*
53. Hactenus de frumentis venalibus in genere dictum.
 Frumentum ad sationem destinatum per consuetudinem,
 à datis & impostis immune esse, si à civitatibus in campum
 deferatur, asserit Mævius *Part. 7. dec. 121.* de quo tamen alii
 videant.

videant. Illud certum de frumento ad usum exercitûs ap-
portato vectigal non solvendum esse l. 9. §. 7. ff. de public.
Menoch. cons. 744. n. 14. Facit hûc recessus Imperii Ratisb.
de ann. 1532. §. Und nachdehm 8. ubi disponitur, daß das Pro-
viant, so zu unterhalte des Krtzgs, Volcks zugeföhret wird Zoll
und Mautfrey an allen Städten / Zollen und Orten gelassen
werden solle.

Circa vectigal extraordinarium, vid. num. 17. 55.
quod scilicet ex causa peculiari extra ordinem consuetum
a Principe imponitur, illud quæri solet: *An collectam tem-
pore carestie pro emendo grano impositam solvere debeant pau-
peres eq. ac divites?* quod affirmandum per l. 1. C. ut nem. li-
ceat. lib. X. quoniam talis collecta est onus patrimoniale, à 56.
quo nec alias privilegiati immunes sunt. l. 6. §. 4. ff. de mun. &
bon. & præterea Imperator hujusmodi onera cunctis pro qua
singulos portione contigerit, voluit irrogari, ut ab iis-
dem comparationibus nec sacratissimam suæ pietatis, nec
sacratissimæ suæ conjugis domum patiatur subtrahere, d. l.
1. C. ut nem. lic.

CAP. V.

DE

Jure Personarum circa Fru-
mentum, h. e. de Agriculis & eorum
Privilegiis.

SUMMARIA.

Methodus capituli, n. 1. 2.

*Agricola & Agricultura voces su-
muntur vel latè. n. 3. 4. 5. vel
strictè. n. 6. vel strictissimè ut
hic. n. 7. 8.*

*Agricole an possint dividi in libe-
ros & servos? n. 9. Sunt vel sui
juris vel alieni. n. 10.*

*Alieni juris sunt homines propriè
ibid. (In Familiâ paterfam. so-
lus*

lus imperium habet. n. 11. Matrisfam. potestas quam habet, eidem est subordinata. n. 12. Cur potestas maritalis in pr. Inst. de his qui sui &c, omisa? n. 13. Potestas domestica. n. 14. sumitur vel Politicè. n. 15. Et tunc uxor est alieni juris. n. 16. vel Juridicè. n. 17. Et tunc est juris sui. n. 18.) in sensu Politico non Juridico. n. 19. 20. Dicuntur manumortales. n. 21. Et Eassen n. 22. Eorum descriptio. n. 23. Mansum quid? n. 24. Auctores qui de iis scripserunt. n. 25. Sunt homines liberi non servi. n. 26. Notatur Husanus. n. 27. Domini in homines proprios non habent coercionem. n. 28. quò Domini. n. 29. neque per eos acquiritur. n. 30. Conciliatur Husanus distinguendo inter servum quatenus opponitur homini libero, Et quatenus contra distinguitur homini sui juris. n. 31. 32. 33. Opera hominum propriorū dividuntur. I. ratione modi. n. 34. In Wagendienst. n. 35. Et Handdienste. n. 36. Utræque dicuntur Frohnen. n. 37. II. Ratione temporis sunt vel deter-

minata. n. 38. 39. ubi notatur Webnerus. n. 40. vel indeterminata. n. 41. quæ deducuntur ad arbitrium n. 42. Qui has debet, non tenetur frumentum ferre ultra locum consuetum. n. 43. neque invehere illud die Sabbathi, nisi tempore necessitatis. n. 44. 45. 46. Aliquando ab hominibus propriis loco operum præstatur census. n. 47. Agricola sui juris gaudet privilegio, quorum causa est agricultura in Rep. necessitas. n. 48. 49. 50. ob quam princeps eos in Rep. adjuvat. n. 51. (Seldstükler quid. n. 52.) itemque honore. n. 53. 54. Milites Et Fabricenses ab agricultura arcantur. n. 55. Et cur? n. 56. 57. Per privilegium quid hæc intelligatur? n. 58. Et auctores de iis n. 59. Agricola 1. tempore belli inviolabiles apud Indos. n. 60. Et de Jure Canonico. n. 61. Notatur Choppinus. n. 62. 2. Immunes sunt à militiâ. n. 63. an Et 3. à Tutelâ? n. 64. 65. 66. Ab hac excusantur mensores Et pistores. n. 67. 68. 4. Quid juris in reliquis muneribus? n. ult.

Personarum jura in genere explicaturus Imperator secundum duplicem divisionem a statu libertatis & familiarum desumptam (statu civitatis utpote ad jus publicum magis spectante,

Spectante, omisso) eadem executus est, *t. t. Instit. De Jure Person. & de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Cujus methodum in presenti materiâ observantes, Personas, quarum opera maximè in producendo frumento conspieua est, quique uno nomine *Agricola* appellantur, juxta prædictas divisiones considerabimus, ipsorumq; jura ac privilegia frumenti intuitu ipsis concessa brevissimis adjiciemus.

Sumitur verò *Agricolæ & Agriculturæ* vocabulum vel latè vel strictè, vel strictissimè. Latè à Varrone accipitur *Agricultura*, ut sub se omnia ea contineat, quæ ad colendos agros spectant, culturam nempe hortorum, nemorum, vinearum, arborum, curam equorum, boum, apum. *vid. Georg. Obrecht. Im Politischen Bedencken von Besserung Land und Leute. tit. 11. n. 20. p. m. 96. & Consil. Argent. part. 2. cons. 68. (quod excepta ex Obrechtii dicto tractatu continet) n. 50. Sic & Bornitio Tract. 2. de rerum sufficientiâ cap. 11. pag. m. 22.* *Agricultura* est, quæ agros & pascua, tum animalia colit & curat, Germanicè *Feldbau* / cujus postea duas constituitur partes, *Georgicam*, sive *Geoponicam*, Germanicè *Ackerbau* / ad quam spectare dicit arationem, plantationem, hortorumque item ac sylvanum culturam, & *Thereotrophiam*, Germanicè *die Viehzucht* / quæ in curandis animalibus occupata est. In strictâ acceptione denotat priorem agriculturæ latè sumptæ partem, quam *Georgicam* modo diximus, ita ut *Thereotrophix* contradistingvatur. Sic apud Indos inter septem hominum genera, in quæ populus antiquitus distributus erat, alterum est *agricolarum*, tertium vero *armentariorum*, *pastorum & bubulcorum*, uti ex *Arriano & Strabone* refert *Tholosanus Syntagm. lib. 18. c. 5. n. 2.* Presenti loco strictissimè sumitur pro culturâ agrorum in aratione potissimum consistente & frumenti productione, quatenus separata est à culturâ hortorum der *Gärtneren* / &

8. sylvarum, quæ in secundo significato includebantur. Sic *infra n. 52.* in Statuto Württembergico separatur *der Acker und Weingarten-Bau.* Et huc quoque respexisse videtur Cicero *de Senectute Tom. IV. oper. p. m. 551. B. C.* de Agricolis ipsorumque officiis ita verba faciens. *Agricola habent rationem cum terrâ, quæ nunquam recusat imperium &c. vid. supra cap. 1. n. 75.* Quem locum si paululum accuratius inspicias, patebit, malè eundem ab Obrecht & in Consil. Argent. *dd. ll. agriculturæ* in primo & lato significato fuisse accommodatum.
9. Agricolas ergo in hoc ultimo significato juxta priorem personarum divisionem, quâ in liberas dividuntur & servas, considerare velle supervacaneum esset, cum servitus hodiè ferè in orbe Christiano sit sublata. Restat itaque solum altera, ex familiæ statu desumpta, secundum quam Agricola vel sui juris *vid. infr. n. 48.* vel alieno juri subjecti. Alieni juris voco illos, qui aliàs communiter *Hominum priorum* nomine vocantur. Quod ut clarius evadat, præsuppono ex Politicis, Familiam, cujus intuitu divisas hoc modo personas dixi, ex tribus societatibus simplicibus constare, maritali, herili, ac paternâ, quarum omnium respectu Paterfamilias caput exerit, ac peculiarem potestatem habet, diversaque nomina sortitur. Quâ uxorem, maritus dicitur potestatemque maritalem exercet; quâ servum, Dominus est, potestatemque herilem in eum habet, quâ filium, patris nomine potestateque patriâ gaudet. Uxori itaque, filio & servo in societate familiæ parendi gloria relicta est, imperio domestico soli patrifamilias reservato. Quamvis enim & materfamilias eximii quidpiam in familiâ gerere videatur, cum & ipsa ad triplicis societatis respectum trina nomina, uxoris nimirum, matris & dominæ, accipiat, potestatemque etiam patriam & herilem suo modo in liberos
- &

& ancillas exercent, tamen respectu mariti eadem imperio
 omni destituta manet, & herilis ipsius ac patria potestas di-
 rectioni patrisfamilias tanquam capitis subjecta atque sub-
 ordinata existit. Quæ cum ita sint, mirari cuiquam liceat^{13.}
 cur Imperator in descriptione hominum alieni juris men-
 tionem solum potestatis dominicæ ac patriæ injecerit *pr.*
Inst. de his qui sui vel alieni jur. sunt. omisâ potestate maritali;
 cum tamen & hujus respectu uxor videatur esse alieni juris,
 quia sub alterius potestate est. Juris namque vocabulum in
 hâc personarum divisione pro potestate sumi nemo ambi-
 git. Sed ad hoc sciendum: sub voce potestatis ambiguita-^{14.}
 rem quandam latere. Consideratur siquidem potestas do-
 mestica vel Politicè vel Juridicè. Priori modo nihil aliud^{15.}
 denotat, quàm respectu illius, qui eandem exercet, imperi-
 um in personam quoad actûs communem familiæ utilita-
 tem concernentes; respectu istius, qui subjectus est, ut actus,
 quos ipse ad bonum familiæ conferre tenetur juxta præ-
 scriptum directoris instituat. Et hoc modo uxorem quoad^{16.}
 generationem & educationem sobolis alieni juris & sub po-
 testate mariti esse, perinde ut servum respectu operarum
 exhibendarum, facile constat. Verum quod acceptionem^{17.}
 Juridicam concernit, Imperator plura sub potestatis voce
d. pr. Inst. complecti videtur, ut nempe subjectum ejusdè
 activum in passivum coercionem quandoque etiam cum
 verberibus conjunctam exercent, & prætereà passivum sub-
 jecto activo res quasdam acquirat, §. 1. & 2. *Inst. de his qui*
sui & c. arg. §. 2. voce: talem, Inst. de P. P. pr. Instit. per quas
pers. cuiq; acquir. Quæ cum ad uxorem applicari non pos-^{18.}
 sint, patet, eandem ex hâc hypothese inter sui Juris perso-
 nas referendam esse. nec adeò opus fuisse, ut ejus Impera-
 tor *in d. pr. Inst.* mentionem faceret. Sed hâc obiter. Quam^{19.}
 vis ergo jam non sit animus discutere, an rectè potestatis

domesticæ vocabulum ab Imperatore his limitationibus circumscriptum fuerit, nec ne, licebit tamen in præseuti loco, dum homines proprios alieni juris diximus n. 16. politicam potestatis domesticæ acceptionem hic nostram facere, quia termini technici ex disciplinâ, unde sunt desumpti, explicandi veniunt. Juxta hanc itaque prædicatum hoc hominibus propriis competere evidens est, quia illi sub Imperio domestico dominorum suorum vivunt, etsi significatus Juridicus non ita commodè quadrat, cum ea, quæ de coercitione atque acquisitione n. 17. relata sunt, vix ad eodem applicari queant, ut ostendatur *infra* n. 28. *seqq.*

21. Homines hi proprii, qui adscriptitiis & originariis colonis tantâ similitudine juris conjuncti sunt, ut propè iidem esse videantur, in Avernîâ, Burgundiâ, Campaniâ, Hannoniâ, provinciâ Belgicâ, Germaniâ item ac Poloniâ hodiè deprehenduntur, alioque nomine manumortales appellantur. Perez. *in Cod. de Agric. & Censit. lib. XI. num. 31.* Saxones nominant eos, *die Lassen* / vel, quasi in provinciâ relictii sint, *Gloss. German. ad artic. 59. lib. 2. Landrecht n. 4.* Diese Lassen sind die / welche unsere Vorfahren auff gewisse Vergleichung haben sitzen lassen / do sie die Land und Leut bezwungen haetten; vel, quod ab internecione dimissi sint, daß Sie des Todes gelassen seyn. Unde & in Italicâ lingvâ *Lasfare* ex Germanicâ veteri, *lassen fahren* irrepsit, *Besold. Thesaur. pract. voce*
22. *Lassen.* Suntque illi, qui ex contractu aut præscriptione, (antiquitus ex voluntate victoris *Besold. d. l.*) accepto manso ad servitia certa domino præstanda tenentur. *Besold. d. l. voce: Frohn. p. m. 481. seqq. Mundius de mun. c. 4. n. 32. seqq.*
23. *Hufanus de hominibus propr. c. 3.* Est autem mansum *b. l.* nihil aliud, quam ager, etn *Daurenhoff* / ita dictum à mansione, unde & Gallicum: *Maison* descendit. Alio in significato denotat quantitatem terræ, quæ duobus bobus sufficit anno ad laborandum, Germanis denotat

notat opus diurnum viri, & in pratis dicitur *Mannsmad / so viel ein Mann in einem Tag mähen kan / in agris Manns werck / in alpibus Mannstöffel*. Besold. d. l. voce *Mannsmal*. Wehnerus in *observat. pract. ead. voce*. Rosenthal. *de feudis XII. 15. 21*. De hisce hominibus propriis cum jam integris tractatibus dicere præoccupaverint Hermannus Stamm, & allegatus modò Husanus, nolo in præsentì actum agere, sed brevitati litabo. Eorum naturam quod concernit, placet illorum opinio, qui liberis hominibus eosdem annumerant, ac antiquis Romanorum libertis vel certo modo dedititiis comparant. Quamvis enim cum servis in quibusdam conveniant, ab iis tamen in multis differunt quoque, cum & testamenta facere & contrahere valeant. Sichardus in *Cod. de oper. Libert. n. 2*. Besold. d. voce *Lassen Perez. in Cod. d. l. n. 32. 33*. quam ob causam etiam à nobis sub potestate, quidem Dominicà constituti sunt n. 20. sed in significato politico, non Juridico. Frustrà itaque dissentit Husanus, qui d. tract. cap. 2. n. 1. servitutem in his hominibus hæere asserit, ac n. 37. principii loco præsupponit, quod omnia quæ in jure sancita sint de servis, ea ad rusticos nostros & proprios homines transferri rectè possint. Nam I. imperium, quod dominis olim in servos competiit, sive antiquum rigorem juris vitæ & necis, sive moderatam ab Imperatoribus coercionem respicias, dominis nostris, quæ talibus in homines proprios nequaquam videtur adscribendum. Dico: quæ talibus. Quàm vis enim Husano demus, Dominum homines proprios mediocribus plagis castigare posse, uti ex Baldo cap. 7. n. 9. refert, pœnas itidem ac multas iis irrogare, imo, si habeat merum & mixtum imperium, in eo territorio, ubi talis colonus habitat, in ipsius potestate esse ut capitis pœnam eidem delinquenti infligere queat Husan. *ibid. n. 68. § 69*. Hæc omnia tamen domino isti attribuenda

da forent, non quâ domino, h. e. potestate Domesticâ præ-
 dito, cujus intuitu similes actûs olim à Dominis in servos
 exercebantur; sed quâ magistratui potestate publicâ gau-
 30. denti. 2. Nec quemadmodum olim domini per servos ac-
 quirebant sibi, ita hodiè per homines hujusmodi proprios
 idem facere possunt. Nam proprii homines & peculium
 proprium habent, & sibi acquirunt, Perez. *in Cod. d. l. n. 33.*
 & alienare quoque urgente necessitate res suas minusuti-
 31. les possunt. Husan. *c. 6. n. 25.* Possset tamen & Husani sen-
 tentiâ cum nostrâ conciliari, si dicas: servi vocabulum du-
 plici sub respectu sumi: uno, quo liberis hominibus op-
 ponitur, altero, quo contradistinguitur personis sui juris.
 32. In primo significato homo proprius non est servus, uti o-
 stensum, in altero vero ad eosdem, si modò potestatis do-
 33. mesticæ vox Politicè accipiatur, referri potest. Et similem
 quoque mentem Husano fuisse innuere videntur verba
cap. 2. n. 35. ubi & inter præsupposita hoc refert, servitutis
 appellatione omnes omninò species subjectionis venire,
 quæ juris aliquid & potestatis in personâ producunt.

34. Servitia & operæ, ad quas obligantur homines proprii,
vid. n. 23. duobus modis à Dd. dividi solent. 1. Quoad mo-
 dum exercendi & præstandi aliæ sunt operæ curruum *Wa-*
 35. *gendtenste* / aliæ operæ manuum *Handdenste*. Priores ap-
 pellantur etiam *Pflugdenste* / *Pflugfrohen* / & præstantur
 ab iis, qui ex agris eqvos aut boves aratores alere possunt,
 qui & inde vocantur, *Außspanner* / *Pferdner* / *Hübener* vel
 Hubarii & ad eas pertinent: convehere frumenta &c. in
 ædes dominicas, agros fimo stercore, serere, arare, ro-
 36. stro planare &c. Posteriores & operas manuales *die Hand*
oder Handdenste exhibent, qui non habent integrum man-
 sum, vel hubam, *die Tagelöhner so keine Pferde haben* / *die*
Hinterfiedler / *Köttner* / *Kottassen* / *Handfrohen* / *Söldner* /
 Gärter

Gärtner/ & ad eas spectant, *Geirnd abschneiden / Heu ma-*
chen/ item frumentum triturare &c. vid. Besold. Thesaur.
Pract. voce Frohn p. m. 482. & voce Pflugdienst p. m. 132.
Wehner in observ. pract. voce Dingnotul p. m. 107. Husan.
de bom. propr. c. 6. n. 65. 66. Limn. de Jure Publ. lib. VI. c. 4.
n. 15. Utræque operæ communi & generali nomine di-
cuntur Frohnen/ Frohndienste ab antiquo Frohn/ h. e. Sacrum,
quia sacræ libertatis, quæ per manumissionem contigit,
remuneratio sunt. Sic & Frohnbot dicitur, quasi sacer nun-
cius: Quamquam alii velint, vocem Frohn idem Germanis
antiquitus denotasse, quod commune gemein/ alii eandem
pro judicio usurpatam asserant, quam litrem hic dirimen-
dam non sumo. Vid. Besold. d. voce Frohn. & Wehner. vo-
ce Dingnotul. Husan. c. 6. n. 53. Deinde 2. ratione tempo-
ris aliæ operæ sunt determinatæ aliæ indeterminatæ. Illæ
sive gemessene Dienste/ dicuntur etiam certæ, non quoad sub-
stantiam, hęc enim respectu, quia in facto consistunt, omnes
essent incertæ Mundius de muner. c. 4. n. 42. sed quoad tem-
pus, quando nimirum tempus determinatum est in libello
contractus, Germanicè der Dingnotul/ videlicet, quod in
septimanâ, mense vel anno semel, bis, ter, &c. domino ex-
hiberi debeant. Quò pertinent die benandte Frohntage/
Schnitte May und Heu Tage. Ac de his rara solet esse
disceptatio, cum, qui eas tantum debent, ultrâ determina-
tionem gravari non possint, c. dilecto X. de offic. Archidiacon.
l. penult. §. caveant C. de Agricol. & Censit. Limnæus d. l. n. 16.
Neque harum determinationem in provinciis suis Elector
Saxonix sibi faciendam reservavit, uti opinatur Wehnerus
in voce Aller Dienst. Nam si Part. 2. Novell. Elect. Augusti Con-
stit. 12. quam pro se adducit Wehnerus, inspicias, patebit,
eam non loqui de operis determinatis, sed in specie von des-
sen Baufrohn/ quæ citius ad indeterminatas, quàm ad has,
referendæ

41. referendæ erunt. Indeterminatæ & infinitæ operæ, ungewessene Dienste / völlige Landübliche Dienste / Allerdienste / non ita dicuntur, quod in infinitum se extendant, & quod rustici semper eas præstare teneantur, quamvis plerique qui eas à rusticis expectant arbitrentur, die Sauren müssen ihnen leisten und thun was und wann Sie wollen; sed sufficit de certis operibus & certo labore id intelligi, non tamen
42. certo die præstando, sed quotiescunq; opus fuerit. Deduci itaque omninò debent ad arbitriū boni viri *arg. l. 27. § 30. ff. de oper. libert.* qui ante omnia usum & consuetudinem, wie es von Alters herkommen / adspicere debet, unde etiam appellantur: Landübliche Dienste / Besold. d. voce Frohn / p. m. 483. Wehnerus voce Allerdienst & Dingnotul. Mundius
43. d. c. 4. n. 43. 44. Concludimus inde eum, qui debet operas indeterminatas, non tamen teneri frumentum ferre ultrà locum consuetum *arg. l. 8. C. de annon. & tribut. lib. X. § l. 2. C. de privil. Domus Augusta lib. XI. ibiq; Brunne man. n. ult. Surdus de alimentis tit. 4. qv. 23. n. 24.* & ita pronunciauit Camera Imperialis d. 21. April. 1567. in causâ der vter Dörffer in Hatgau contra Hanau referente Mundio d. c. 4.
44. n. 63. Spectaret huc & illaquæstio: An à subditis indeterminatas operas debentibus, possit exigi ut die Sabbathi frumenta invehant, aut à fundo separent, quam quidem nolim ita indistinctè negare, uti in simili casu de literarum
45. translatione definit Limnæus d. l. VI. c. 4. n. 19. Sed potius circumstantias concurrentes probè ponderandas esse opinor: An nimirum necessitas, ac instans fortè cœli tempestas id svadeat, an verò res moram patiatur, ita, ut priori casu, finitis tamen sacris non adeò illicitè videatur Dominus opus hujusmodi à rusticis suis exigere, cum ipse Deus *Exod. 12. v. 16.* ea quæ ad vescendum pertinent diebus feriatis facere permittat, & juxta dictum Poetæ: *Sepe etiam festis quædam*

dam exercere diebus Fas & jura sinant, rivos deducere nulla, Relligioque vetet, segeti pratendere sepem, Insidias avibus moliri, incendere sepes &c. At in posteriori casu vituperandus⁴⁶ omninò est abusus seculi nostri majora servitia à subditis die dominicâ exigens. Quâ in parte pejores proh dolor! Christiani deprehenduntur Ethnicis. Nam Tibulli admonitione: *Luce sacrâ requiescat humus, requiescat aratrum, & grave suspensò vomere vepres opus*; Ac inter Marci Catonis præcepta *lib. 1. de re rusticâ* potissimum illud reperitur, ut agricola ferias servet. *Vid. Choppinus lib. 2. de privil. rustic. c. 7. p. m. 103.* Quæ dicta hæcenus sunt, ea quoad operas à rusti-⁴⁷ cis exigi solitas, regulariter observantur. Solet tamen aliquando & contractui inter Dominum & colonum hujusmodi ineundo inseri, ut non solum operas præstet, sed & census quotannis exolvat, qui non tantum in pecuniâ Silber & Zins consistit, sed & interdum loco ejusdem aliquot modii frumenti, *Sackzehnd / Gült oder Pachtgetreyde* / alibi gallinæ & anseres, *Zinshüner / Fasnachtshüner / Rauchhüner / Herbsthüner* / item cera, *Wachs; zins* / ova, *FasnachtsEyer* / *Langsaat* / & casei, *Pfingsstüße* dari consueverunt. *Wehner. d. voce Dingnottul p. m. 107. Husanus c. 6 n. 63. seqq.*

Agricolæ sui Juris *vid. n. 10.* quique alterius potestati⁴⁸ domesticæ subiecti non sunt, variis privilegiis ob rem agrariam sibi concessis gaudent, quorum causa generalis est summa agriculturæ in Rep. necessitas, cum sine illâ vita neque commodè neque beatè in eâdem geri possit, *vid. c. 2. num. 1. & 2. Manzius in special. voce Agricultura f. m. 36.* Quemad-⁴⁹ modum enim nullus ager quamvis fertilis sine culturâ fructuosus esse potest, depravatâ per hominis lapsum ejusdem naturâ, ita viceversâ ullum solum tam exile & macrû est, quod aratro perstringi non possit, nullum tam asperum saxetum in quo agricolarum cultus non elaboret. Cicero

50. *Orat. 2. de Leg. Agrar. Tom. 2. oper. p. m. 420. lit. D.* Quam in rem illustre Belgarum exemplum, qui etiam paludosa, uliginosa & lacustria loca insigni industria siccant & excolunt, unde tria miracula in Batavia: Daß die Leute unter dem Wasser wohnen / aus Wasser Land machen / und ins Wasser säen.
51. *Klock. lib. 2. de arar. c. 1. n. 39. 40.* Princeps itaque agriculturæ studium promovere, eosq; quorum labor & diligentia in eo genere conspicua est, quâcunq; ope juvare, & omnia, quæ ad agrorum fertilitatem omnigenasque commoditates conducunt, diligenter rimari non dedignabitur. *Klock, d. l. n. 32.* exempla sibi propositurus Gesonis Syracusani, qui frequenter suorum studium ad agriculturam hortatus est, partim, ut agri ad communem hominum usum meliores redderentur, & partim, ne ocio torpescerent: *Valentiniani item ac Theodosii Imperatorum, prædia deserta occupantibus assignantium, nisi priores Domini restitutis expensis intrâ biennium illa repetant l. qui agros 8. C. de omn. agr. desere. libr. XI.* *Georg. Obrecht in dem Politischen Bedencken*
52. *Tit. 11. n. 28. seqq. p. m. 98* Hanc etiam ob causam sine dubio in ordinatione municipali Württembergica tit. von Feldstüßlern singulare officium der Feldstüßler introductum fuit, quod in eo consistit, ut videant, ne agri malè colantur, und diese werden mit Pflicht und Eyd beladen / zu allen Arbeiten des Acker und Weingart. Baus durch das ganze Baufeld an Acker und Weingart zu gehen / ob die zu jeder Art recht gebauen / und wo etne Art unterlassen / oder nicht in Bau gebracht / denselben bey sonder auffgesetzter Straffe zu einem Abtrag des Anbau und Schadens nach Gelegenheit und gestalt der Sachen zu geben erkennen / und hterunter niemandverschonen. *vid. Spei-*
53. *del. notabil. voce Feld. p. m. 299. seqq.* Amplus hîc se aperit campus in laudem agriculturæ latius excurrendi, cujus non infimum argumentum inde desumitur, quod in tanto honore

nore ea semper fuerit habita, ut non solum Reges ac Principes, quique summam imperii gesserunt, ferè quovis tempore agriculturam in summis deliciis habuerint, sed & agricolæ non uno exemplo ab aratro ad solium regium perducti sint, vel Dictatura ipsis, summæ olim apud Romanos potestatis genus, fuerit delata. Quid quod & antiquitus in Carinthiâ Duces non à magnatibus & primoribus, sed ab agricolis creati fuere, quem morem ex Hermanno Fabricio refert Speidel. *d. l. voce Bauren p. m. 101.* Sed præoccupavit jam hoc argumentum insignis agriculturæ panegyristes Klockius *de arario lib. 2. c. 1. ferè per integrum*, ad quem brevitas studio me refero. *Conf. Tholos. Synt. lib. 18. c. 23. n. 2.* Thomam Garzon. *in dem allgemeynen Schauplay Disc. 56. cujus verba excerpfit Speidel. d. l. voce Bauren / quem & vide in voce Feld. p. 300.* Illud solum addo, quàmvis modò dictum sit, summè necessariam Reip. esse agriculturam, subditosque omnes ad eam excolendam à Principe adhortandos esse reperiri tamen in Jure nostro leges non unas, quibus studium hoc severè prohibitum legitur. Sic *l. 31. C. de locat. militibus & horum exemplo l. ult. C. de fabricens. lib. XI.* qui nimirum in publicis fabricis arma ac instrumenta bellica conficiebant, agrorum cultura interdicta est. *Cujus rei rationem si quæras, exinde dependere eadem videtur, quod principis majestatem non solum Legibus ad pacatum statum ducentibus armatam, sed & armis decoratam esse oporteat, ut utrunque tempus, & bellorum & pacis rectè gubernari possit, pr. Inst. Proæm. adeoque operam dare debere, ut unius intuitu alterum non incultum planè maneat. Distribuit itaque Imperator noster officia diversa ad diversos fines tendentia diversis quoque personis, & cum milites curam omnem in id impendere debeant, quomodo ab hostibus resp. defendatur, noluit eosdem agriculturæ, utpote quæ magis pacatum sapit statum, immisceri.*

58. Hæc de privilegiorum agricolis concessorum causâ impulsivâ. Ipsa privilegia quod concernit, per ea hîc non intelligo beatitudinem vitæ agrestis, quam summè deprædicarunt ex Poetis Virgilius *lib. 2. Georgie.* Horat. *lib. Epod. od. 2. & in Sermon. lib. 2. Sat. 6.* Boet. *de consol. Philos. lib. 2. carm. 5.* Seneca *in Hippol. vers. 482. seqq.* Martialis *lib. 1. Epigr. 18.* Ausonius *Epist. 22.* Claudian. *in Epigr. de sene Veronens.* (quæ loca collecta vide ap. Klock. *d. l. 2. de arar. c. 1. v. 22. conf.* Choppin. *de privil. rust. l. 1. c. 11. p. m. 35.*) ex oratoribus ac Philosophis quàm maximè Cicero *in Catone majore*; sed intelligo jura singularia in civitate agricolis intuitu operarum suarum concessa. Privilegio hæc integro tractatu exposuit Choppinus jam sæpius à nobis allegatus, & Manzius *in special. juristis. de agriculturâ f. m. 36. 37. 38.* occurrentque plurima suis locis *infra in materiâ pignoris, emtionis venditionis & c. & in cap. ult. ubi singularia quadam processum concernentia agricolis indulta videbimus.* Ad hunc tractatum sequentia potissimum facere videntur.
60. 1. Non solum ap. Indos ea antiquitus viguit disciplina militaris, ut in medio bellorum strepitu Agricola nihilò fecius villatica negotia perficerent; hostes quidem in prælio mutuâ cæde grassarentur, sed ab omni in rusticos abstinerent injuriâ, eosque intactos inviolatosque relinquerent tanquàm communis utilitatis ministros; vid Tholos. *Synt. lib. 18. c. 5. n. 2.* Choppinus *lib. 1. c. 2. p. m. 3.* Sed & quoad Jus Canonicum Alexander III. in concilio Lateranensi non minus prudenter quàm piè constituit, cultores agrorum & boves aratores in tutelâ fideque publicâ militum omnium
62. de hinc perstaturos *c. ult. X. de treugâ & pace.* Nescio tamen an sat commodè ex *Jerem. c. ult. v. 16.* huc referatur exemplum Nabuzardanis, quem interfectis reliquis civibus omnibus Agricolas solos dimisisse, quietosque armis suis curandis

dis reddidisse putat Choppinus *d. l.* Etenim si contextum *capiti ult. in Jeremiâ* adspiciamus, constat, Nabuzardanem hoc nequaquam favore agricolarum fecisse, nec omnes agricolas ipsius crudelitatem evasisse, sed tantum id dicitur, quod potissimâ parte civium Judaicorum in captivitatem deductâ quosdam Jerosolymæ reliquerit, ut agros ac vineas colerent, ne scilicet terra istius regionis deserta planè fieret, atque ita Nabuchodonosor Dominus Nabuzardanis damnum quoddam sentiret. Quicquid itaque hîc factum est, id potius in favorem Regis Babylonîæ quàm agricolarum fuit perpetratum.

2. Quemadmodum *n. 55.* milites ab agriculturâ arcebantur, ita vice versâ agricolis hoc privilegium datum *l. 3. C. qui militare poss. lib. 12.* quod ad armatam militiam nec assumi debeant, nec inviti cogi possint, cum alioqui per delectum plerique omnes cogantur. Rationem hujus privilegii repetere è *n. 56.*

3. Tutela munus publicum est *princ. Inst. de excusat. 64* à quo regulariter nemo nisi qui justam excusandi causam jure singulari concessam allegare possit, immunis est. Inter has causas an agricultura sit, quæritur? Illud quidem constat: de rusticis Paulum ita scripsisse: Rusticitatem interdum excusationem præbere *l. 6. §. ult. ff. de excus.* Sed exinde tamen non videbatur hoc inter specialia agriculturæ cum Manzio referendum esse, quoniam, si agricultura per se causa excusationis foret, Jctus non dixisset: rusticos interdum excusari, quia omnes ferè agriculturæ navant operam. Et ipse postea Paulus explicat, quid per hoc: *Interdum intel-*
lectum velit, sc. quod non propter agriculturam rustici vacationem à tutelâ habeant, sed propter imperitiam, si nimirum stupidi sint atque expertes negotiorum *d. l. 6. §. ult.* quales communiter sunt illi qui literas nesciunt *§. 8. Inst. eod.*
Quid-

- 67 Quidquid tamen hujus sit, illud certum est, propter industriam frumento exhibitam & mensores frumentarios habere jus excusationis *l. 26. ff. de excus.* & illos qui in collegio pistorum sunt, à tutelis excusari, si modo per se pistrinum exercent & intra numerum sint *l. ult. pr. ff. eod.* Quamvis enim hi jure collegii magis quam intuitu frumenti excusationem hanc adepti videantur *l. 41. §. 2. ff. eod.* (quippe si principaliter annonæ causâ illud allegarent nulla ratio dari posset, cur non & ii, qui extra numerum sunt, privilegium hoc prætexere possint) in eo tamen aliquid peculiarè à reliquis collegiis habent, quod urbici pistorum à collegiarum quoque filiorum tutelis excusentur, *d. l. ult. §. 1. contra regulam d. l. 41. §. 2.* quod procul dubio iis ex speciali favore annonæ concessum fuit.
- 69 4. A reliquis muneribus tam patrimonialibus quam personalibus ac mixtis an & quando vacationem & immunitatem habeant agricolæ, *vid. Manz. d. l.*

TANTUM.

